ANTIQUISSIMI VESPERARUM PASCHALIUM RITUS EXPOSITIO

DE SACRO INFERIORIS ÆTATIS PROCESSU

DOMINICA RESURRECTIONIS CHRISTI

ANTE VESPERAS

IN VATICANA BASILICA USITATO

CONJECTURA.

auct. Ph. Laur. Dionisio







ROMÆ MDCCLXXX.

EX TYPOGRAPHIA MARCI PALEARINI.

SUPERIORUM PERMISSU.



BEATISSIMO PETRO
APOSTOLORUM PRINCIPI

INDIGNUS FAMULUS, ET HUMILLIMUS
PRÆSENTIS OPUSCULI SCRIPTOR.



UPPLEX, & venerabundus, PETRE Sanctissime, consisto ad Sacram Confessionem tuam, locum

ſcilicet, qui tamquam Catholicæ Fidei centrum, arca, petra, & Eccleſiæ fundamentum ſuſpicitur, ac vel a primis uſque Reipublicæ Chriſtianæ ſeculis Fidelium huc accedentium frequentia celebratur. Huc etiam cum plurima, atque pretioſa dona olim conferrentur, ibidem & ego munus tamen perexiguum, præſentem nempe Lucubratiunculam Tibi ſiſtere nunc audeo. Hoc etſi perquam tenue oblatum, ut confido, non reſpues, tum quia ad exemplum Magiſtri tui Chriſti Jeſu, qui viduam pauperem in gazophylacium duo tantum mi-

nu-

nuta immittentem laudavit, potius affectum offerentis, quam rei oblatæ magnum pretium consideras, tum etiam quia opusculum, quod Tibi dedico, ad peculiarem attinet sacram Functionem, quæ in Augusta Vaticana Basilica Deo Optimo Maximo in honorem Tuum erecta annis singulis habetur. Quod autem a Te vehementer obsecro, id sane est patrocinium tuum. Finem enim dierum meorum in hac mortali vita prope jam aspicio; quodve Tu Dei revelatione admonitus, de Te dixisti (1) VELOX EST DE-

(1) Epist. 2. cap. 1. vers. 13.

POSITIO TABERNACULI MEI, id ipſum & ego uſurpare de me poſſum, non quidem pari inſtructus revelatione, qua certe ſum indignus, ſed meæ provectæ ætatis, ac infirmæ valetudinis conſcius. Evangelium Chriſti Redemptoris, quod diſſeminaſti, & ejus prædicationem glorioſo Martyrio perfeciſti, bonum nuntium eſt de cœleſtis Regni æternis deliciis, & gaudiis poſt hujus ſeculi ærumnas poſſidendis. Veram hanc, ſummamque beatitudinem, Jeſu Chriſti meritis obtinendam percupio, & in eam Fide, ac Spe feror: num ve-

ro ea charitate, quæ ad illius perpetuæ felicitatis assecutionem omnino requiritur, sim affectus, me profecto latet. Quæ perpetravi, & quotidie committo peccata, ante oculos meos versantur, adeo ut spes illa, etsi certa mihi sit quatenus innixa tum Divinæ omnipotentiæ, cui resistere nullus valet, tum bonitati, qua Pater proprio Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum; non est vacua & expers timore, dum meas frequentes culpas animadverto, ob quas vereor, ne Deus ad iracundiam provocatus me derelinquat. Ut maximum hoc

malum procul ſit, confugio ad Te Apoſtolorum Princeps, ligandorum, & ſolvendorum arbiter, cujus judiciorum definitio etiam in cœlis manet: tutelam tuam, Regni æterni Claviger, humiliter imploro, ut tuis intercedentibus meritis, ab immenſa Dei miſericordia veniam peccatorum meorum obtineam, qui iram mereor; ſicque maculis purgatus, ex terrena hac peregrinatione ad patriam, quæ eſt cœleſtis Jeruſalem pervenire valeam. Spem meam auget, quod S. Leo Magnus in Cathedra Tua dignus plane ſucceſſor, de tuo, & conſortis tui

Pau-

Pauli erga nos patrocinio asserit verbis hujusmodi (1): „ Sicut & nos experti sumus, & „ nostri probavere majores, cre„ dimus, inter omnes labores „ istius vitæ, ad obtinendam „ misericordiam Dei, semper „ nos specialium patronorum „ orationibus adjuvandos; ut „ quantum propriis peccatis de„ primimur, tantum Apostoli„ cis meritis erigamur. „ Tu sane in cœlis regnans, ibi tantam de Ecclesia Militante curam habes, ut in ea Cathedra, quam in Terris tenebas, ha-

(1) In fine sermon. de SS. Apostol. Petro & Paulo.

ctenus ſedere, in ipſa Eccleſia perpetuo vivere, ejuſque clavum tractare, & gubernacula numquam reliquiſſe videaris. Id profecto Succeſſores tui perſuaſum habebant, dum ſe Tua vice fungi proteſtabantur (1), ſeque Vicarios tuos appellabant. (2) Idipſum cum intime pernoſcat Antiſtes Maximus PIUS SEXTUS Chriſtiani Orbis Moderator, non in Cleris dominans, ſed humanitatis, aliarumque virtutum, ac religionis po-

(1) Idem S. Leo Magnus ſerm. 2. in anniverſario die aſſumptionis ſuæ ad Pontificatum.

(2) S. Symmachus epiſt. 3., & 10. S. Nicolaus I. epiſt. ad Michaelem Imperatorem, aliique plures.

potissimum nitore præfulgens, mentis sublimitate ac amplitudine, atque in rebus gerendis alacritate simul, & prudentia admodum conspicuus; ad Tuos sacros cineres pietate plane singulari frequentissime accedit, fervidis precibus pro Ecclesia sibi commissa Te Patronum obsecrans: & quod admirabili tuæ Basilicæ deerat Sacrarium, hoc ipse excelsi animi Princeps prænobile, & sumptuosum a fundamentis ædificavit. Successorem hunc tuum PIUM SEXTUM Tibi specialiter devotum Tuo patrocinio adjuva, ac sospitem & incolumem ser-

va, ut quæ ad Ecclesiæ universæ, & Apostolicæ Sedis spirituale ac temporale commodum solicite molitur, prospere compleat. Te demum precatore, domestica Familia tua, augusti scilicet Templi tui servitio addicta; religionis, pietatis, aliarumque virtutum splendore eniteat, ac istarum odor precibus, & laudibus divinis conjunctus ad supremum cœleste thronum gratiæ ascendat, peculiarem ipsius templi sanctitatem exornet, atque eo confluentes Christifideles ad devotionem alliciat. Vota hæc mea, Deus Omnipotens, ac summe

mi-

misericors tuis precibus, PETRE beatissime, prosequatur: ac interim locum glorioso sepulchro, ubi corpore quiescis, consecratum, pronus veneror, atque submissus deosculor.



LE-

LECTORI MONITUM.

PLures quidem processiones in Dominica Resurrectionis Salvatoris Nostri Jesu Christi Anniversaria prisci Rituales libri exhibent. Ex iis unam tantummodo in præsenti Lucubratiuncula paucis tractandam suscepi, eam scilicet, quæ ad ejusdem Dominicæ vesperas celebrabatur singulari plane ritu, & cujus partes ac reliquiæ in aliquot Ecclesiis hodie etiam supersunt. Pervetus sacra functio juxta primævum institutum non modo in Dominica, sed etiam per totam Paschatis hebdomadam ad vesperas habebatur eadem sane forma, mutatis tantum orationibus, antiphonis, & versibus, quos inter aliqui erant Græca lingua concinendi. Ea perlegere si quis cupiat, facile reperiet edita partim a Venerab.Card. Thomasio in Orationale *pag.*16. *& seq.* primæ editionis, partim in Appendice Primo Ordini Romano a Mabillonio adjuncta, & apud Rituale Romanum, quod jussu Pontificis Gregorii XIII. a Julio Antonio Sanctorio Casertano S. R. E. Episcopo Cardinali

Præ-

Præneſtino Sanctæ Severinæ nuncupato, adhibitis etiam aliis ad hoc opus conficiendum præſtantiſſimis viris, compoſitum fuit, ac Romæ typis mandatum. Hæc autem omittenda exiſtimavi, quia vetuſtus Ritualis Codex exeunte duodecimo Eccleſiæ ſæculo ad uſum Canonicorum Vaticanæ Sancti Petri Baſilicæ conſcriptus, in ſolemni Reſurrectionis Chriſti Dominica Veſpertinum Officium cum proceſſione tum ad ejuſdem Beati Petri aram principem, tum ad Sanctam Crucem, tum ad ſacri baptiſterii Fontes, & cum peculiaribus antiphonis, verſibus, reſponſoriis, ac precibus, quæ adſignat, celebrandum quidem indicit; de iiſdem vero ad veſperas per ſex dies prædictam Dominicam ſequentes canendis, uti etiam de proceſſionibus ad Sanctam Crucem, & ad Sacrum baptiſterium per ſex illos dies habendis omnino ſilet.

In præſentis Opuſculi *cap.* I. *pag.* II. cum ſcribo, veſpertinam proceſſionem die Dominica ſolemnitati Reſurrectionis Jeſu Chriſti ſacra, nullibi Romæ, niſi in Auguſto Principis Apoſtolorum Templo hodie

ce-

celebrari; id intelligo de Cleri sæcularis tantummodo Ecclesiis in Urbe existentibus, in quibus, quod sciam, ejusmodi processio minime agitur. Ad regularem vero Clerum, quod attinet, in ecclesiis Fratrum Ordinis Prædicatorum eam tum Romæ, tum alibi non solum anniversariâ Resurrectionis Christi Dominicâ, sed etiam duobus proximè sequentibus diebus religiose post vesperas fieri constat.

In ejusdem Opusculi *pag*.xv. *vers*.21. legitur, *Notario Vicedomino*, sicuti ex codicibus a Mabillonio in Appendice ad I. Ordinem Romanum, & a Venerab. Cardin. Thomasio in Appendice ad Responsoriale, & Antiphonarium Romanæ Ecclesiæ habetur *pag*. 389. At amanuensium oscitantiâ factum esse crediderim, ut *Vicedomino* pro *Vicedomini*, exaratum fuerit. Profecto ipse Thomasius, qui in textu posuit *Vicedomino*, ad imam ejusdem *paginæ* 389. oram scite adnotavit, *Vicedomini*: quam ego lectionem ex Hittorpio retinui *pag*.ix. præsentis lucubratiunculæ.

In hac ipsa opella *pag*.xv. *vers*. *ult*. & *pag*.xvi. *v*.1. locus Romani Ordinis a Mabillonio

lonio evulgati habet : *Presbyteri*, *& omnes Diaconi*, *seu Subdiaconi*, *vel omnes Acolythi per singulos Titulos redeunt &c.* : Ubi notandum est, particulas *Vel*, & *Seu* intelligendas esse non dis unctive, sed conjunctive, ideft copulative. Has enim, lingua latina a Barbaris depravata, pro particula *Et* usurparunt plures, qui octavo præsertim, ac nono Ecclesiæ seculo Scriptores vixerunt; ut exemplis instruimur occurrentibus apud Anastasium Bibliothecarium in S. Symmacho *num.* 5., in S. Martino *num.* 5., aliisque multis in locis ab eruditissimo Joanne Vignolio in Indice tomi 1. ad eumdem Anastasium, quem is edidit, *verb. Vel* adnotatis.



AP-

APPROBATIO.

OPus de Ritu Basilicæ Vaticanæ a Reverendissimo Patre Sac. Pal. Apostolici Magistro mihi opportune expendendum committitur, qui ejusdem famulatui addictus sim, ac Nutritorem habeam Divum Petrum Apostolorum Principem, in cujus honorem Deo Optimo Maximo dicata est splendidissima totius Orbis Basilica. Perquam apte quinetiam Sacri Ritus in ea celebrati Ratio, & modus omnis illustratur nunc ab eo, qui illam longa, & diligenti coluit servitute. Titulus, qui sic se habet: *Antiquissimi Vesperarum Paschalium Ritus expositio, de sacro inferioris ætatis processu Dominicæ Resurrectionis Christi ante Vesperas in Vaticana Basilica usitato conjectura* satis argumenti dignitatem, ac objectum patefacit. Reiiciens quidem eruditus Auctor nonnullorum sententiam, qui laudatum Processum ad Sanctas Mulieres Christi sepulcrum adeuntes referre se posse putarunt, suam dein exerit, quæ in eo est, ut Vestigium potius, ac reliquias in hac processus cærimonia deprehenderit Vetustissimi Ritus, quo solemnes vesperæ Paschales auspicari consueverant. Pietate ipsa, & sacra eruditione opus ab initio ad calcem commendatur, & augustissimæ Basilicæ novum decus comparat, ut edendum quam citissime, si ii ad quos spectat, libuerit, pro meo judicio existimem.

Datum Romæ idibus Februarii anno CIƆDCCLXXX.

Philippus de Valentibus Basilicæ Vaticanæ Canonicus, ejusdemque Tabulario Præfectus.

AP-

APPROBATIO.

MAndante Reverendissimo Patre S. P. A. Magistro scriptum perlegi cui titulus : *Vesperarum Paschalium Ritus Expositio* : Quo in opere nihil reperi , quod fidei aut morum regulis repugnet . Sed potius plura perspexi , quæ tum cl. Scriptoris in sacri veteris ritus origine , & significatione illustranda pium , & eruditum studium , tum Cleri Vaticanæ Basilicæ in eo ritu adhuc retinendo laudabilem consuetudinem produnt . Quare dignum censeo , quod publici juris fiat .

Dat. Romæ die 7. Decembris 1779.

F. Jo. Franciscus Rigo Ord. Præd. & in Collegio Germanico-Hungarico Sac. Theol. Lect.

IM-

IMPRIMATUR,

Si videbitur Rmo Patri Sacri Palatii Apostolici Magistro.

F. A. Marcucci Episc. Montis-Alti Vicesg.


IMPRIMATUR,

Fr. Bruno Toma Ord. Præd. Sac. Palatii Apostolici Magistri Socius.

ERRATA.			CORRIGE.
Pag. XXXVIII	Not. 2.	*ex orta*	*exorta*
LXI	Lin. 12.	esse	has

ORDO CAPITUM.

CA-



CAPUT PRIMUM.

Vaticana Basilica veterum Sacrorum Rituum tenax; Vespertinam celebrat Paschalem Processionem, quæ describitur, & perantiquæ supplicationis exigua pars superstes, ac vestigium existimatur.



ATICANA Sancti PETRI Basilica, venerandæ antiquitatis tenax perinde, ac studiosa, complura servavit majorum instituta, quæ alibi plane desueverunt. Nam vetustissima Psalmorum versione latina, olim celeberrima, hactenus utitur: Precum Canonicarum, seu Romani Breviari Hymnos juxta vetustum rythmum, quales scilicet, antequam ab Urbano VIII. Pont. Max. ad perfectas metri leges, ac numeros reformarentur, cani, & perlegi mos erat; ad hanc usque diem retinet: Veterum usum dandi Presbyterii non solum Antistiti Maximo rem sacram solemniter agenti, verum etiam sæculari Urbis Clero in Litaniis

majoribus ſtato ordine ad ſacra Beati Petri Limina accedenti, etiamnum quodammodo cuſtodit: ac vetuſtum ſane ritum Ablutionis Altaris Majoris feria quinta (antiquiori ævo, ſaltem aliquoties, feria ſexta) ſanctioris Hebdomadæ quotannis religiosè obſervat; ut nihil hic dicam de Sancta Euchariſtia ab iis percipienda, qui obeunt Diaconi, & Subdiaconi munera feſtis diebus in Sacrorum Myſteriorum actione. Sed nec eſt cur ſileam de Veſpertina Proceſſione diei Sancti Paſchatis Reſurrectionis Domini Noſtri Jeſu Chriſti, nullibi Romæ, niſi in Auguſto Principis Apoſtolorum Templo haberi hodie ſolita. Hoc quidem Cleri Vaticani ſtudium in conſervandas veterum conſuetudines laudarunt clari, & ſapientes viri Chriſtophorus Battellus, Alexander Mazinellius, ac præter cæteros Petrus Morettus, qui *ſect.* 1. *num.* 11. Prologi ad ſuam de Presbyterio lucubrationem prædicat familiare tam illuſtri Clero Inſtitutum cuſtodiendi tenaciſſime acceptas a majoribus commendabiles Cæremonias, & conſuetudines, tametſi adnotat circa ritum variandi chorale indumentum noſtro Seculo aliquantiſper a priſtina cura remiſſum. Nec ſatis duxerunt illam in priſcis moribus retinendis firmitatem commendaſſe, aliqua inſuper ex hujuſmodi Inſtitutis tractanda ſuſcepere. De vetuſtiſſimo enim Pſalterio, quo Vaticana utitur Baſilica, Marius Alterius paucis præfatus eſt, deinde Joſeph Suareſius plura, quam ille, dixit; ac demum

mum Antonius Martinettus amplam Diſſertationem concinnavit. De ritu dandi Presbyterium Morettus, quem nuper memini, copioſum volumen edidit. Ritum vero annuæ Ablutionis Altaris principis in die Cœnæ Domini prædictus Battellus explicuit, ac illuſtravit. Sed & de Clariſs. Præſule Stephano Borgia hic ſilere mihi non licet, tum quia is præter volumina eruditiſſima, quæ jam antea concinnaverat, non ita pridem alia duo, alterum de Vaticana Beati Petri Confeſſione, alterum de Cruce Vaticana præclaro Juſtini Auguſti dono, edidit; tum etiam quia eidem ob ſua in me ſtudij, atque humanitatis complura argumenta plurimum debeo. Hæc autem cogitanti mihi, opportunum fore viſum eſt, de Paſchali Veſpertina Proceſſione, quam ſupra innui, peculiare commentariolum ſcribere. Atque id conſilium, licet aliquandiu hæſerim, ea potiſſimum de cauſa tandem exequutus ſum, quia multi quid ſacra illa Supplicatio ſibi velit, ſæpe ſciſcitantur, plerique ſanctas Mulieres ad Chriſti Domini Sepulcrum, uti Evangelica refert hiſtoria, commeantes obtendunt, nonnulli vero quorſus ea fiat, perſpectum non habentes, minus congruam exiſtimant. Ac de hujuſmodi Proceſſu, quos ante commemoravi Scriptores, Battellus nempe, & Mazzinellius dixerunt quidem, ſed obiter tantum, & perpauca, quibus ſalivam potius movent, quam epulas apparando deſiderium explent. Sane illud mihi non arrogo quod

lectoribus ista mea opella facturus sim omnino satis: verumtamen ex eadem lucubratione Ritui de quo agimus, aliquod lumen allatum iri confido.

Hæc autem, quæ apud Clerum Vaticanum nunc obtinet Vespertina Paschalis Processio, ita ordinatur. Antecedunt qui æream Campanulam manualem, & papilionem deportant, ac duo sequuntur Acolythi, quorum alter thuribulum fumigans, alter aquæ lustralis vas defert. Deinde Crux cum duobus ceroferariis: tum Seminarii Alumni, Clerici Benificiati, Beneficiati, & Canonici, suo quisque loco, & ordine, bini, ac bini procedunt; atque eorum agmen claudunt sex Beneficiati cantores, & Canonicus hebdomadarius pluvialibus induti. Clerus autem omnis, e Sacrario decedens, per majorem Basilicæ navem ad valvas pergit; indeque egressus, magnificæ areæ, quæ gradus superiores inter ac inferiores patet, dimidiam partem circumit, postea in templum revertitur, & circa altare princeps subsistit; tunc vero Musici, qui in itinere antiphonam *Regina Cœli lætare alleluja*, pluries concinuerunt, eamdem ultimo repetunt, additoque versiculo, *Surrexit Dominus vere, alleluja: & apparuit Simoni, alleluja*: prædictus hebdomadarius Canonicus recitat orationem diei convenientem: scilicet: *Deus qui hodierna die per Unigenitum tuum &c.* Qua finita, mox Clerus ordinatim ad chorum accedit vespertinas Dei laudes ibi

per-

perſoluturus. Profecto hujuſmodi Proceſſionem veſtigium, ac reliquias eſſe cenſeo vetuſtiſſimi ritus, quo ſolemnes Veſperæ Paſchales celebrabantur, quemve deſcribi oportet, ut hodiernæ origo Proceſſionis oſtendatur.

CAPUT II.

Priſcus Veſperarum Paſchalium ritus, iſque ſingularis, enarratur. Antiqui Teſtes, qui illum exhibent in Baſilica Lateranenſi celebratum, adferuntur, & Notis opportunis explicantur.

VEſperarum Officium in Dominica Reſurrectionis, & ſex diebus mox ſequentibus adeo peculiare olim fuit, ut diſtinctis non modo precibus, ſed etiam in diverſis ejuſdem Eccleſiæ locis peragi continuata ſacræ functionis ſerie conſueverit, hac quidem ratione, & ordine. Clerus certam illam recitans ſupplicationis formulam, nempe *Kyrie eleiſon*, cum proprio Antiſtite ad ſacræ ædis Aram principem accedebat; ibi autem cantu pronunciatis tum tribus pſalmis, nimirum centeſimo nono *Dixit Dominus*, centeſimo decimo *Confitebor*, & centeſimo decimo primo *Beatus vir*, tum *Alleluja*, ac aliis, quæ interponebantur, conciſis quibuſdam Divinis laudibus, tum Antiphona, & Cantico *Magnificat*, prior veſpertini hujus Officii pars oratione quam

Collectam dicunt, pro more absolvebatur. Posterior enim pars ita se habebat: Idem Clerus ab altari discedens, sacri Baptisterii fontes continuo adibat, aut locum erecta Cruce sacrum juxta Ecclesiarum varia instituta (alicubi enim prius ad Sanctam Crucem, deinde ad Baptisterium, e contra alibi prius ad sacros Fontes, tum ad sanctam Crucem processus habebatur) & postquam concentus Antiphonarum aliquot, psalmi centesimi duodecimi, *Laudate pueri Dominum*, prædictique Cantici personuerat, huic secundæ Stationi Sacerdos effusa oratione finem imponebat. Perinde tertia quoque Statio, & si qua alia foret alicubi habenda, complebatur: Scilicet ordinata Clericorum acies ex Baptisterio ad locum erecta Cruce sacrum, sive ad aliud templi ejusdem Altare procedebat, & hic psalmum centesimum tertiodecimum *In exitu Israel*, cantari, eique certas Divini Numinis laudes adjungi, solemne fuit; quamquam hic psalmus post præcedentem *Laudate pueri Dominum*, alicubi in Statione ad sacros Fontes recitaretur. Vespertinum hujusmodi Officium honesta corporis recreatio sequebatur apud Lateranensem Basilicam in secreto loco, ubi jucundus triplicis generis potus sacris ministris propinabatur. En Paschalium Vesperarum ritus brevi quidem narratione delineatus, sed ad rem nostram satis expressus. Duo quippe consideranda in eo sunt: alterum scilicet, in tribus ejusdem templi diversis locis, totidem-

tidemque ſtationibus preces illas veſpertinas perfici ſolitas fuiſſe, ideoque in hujuſmodi Officio tres veſperas Benedictus Vaticanæ Baſilicæ Canonicus in Ord.Romano num.49. aliique agnoſcunt; alterum vero,Clericos ad ea loca ſeſe conferre, ac ordinatim procedere conſueviſſe: ex quo,uti dicebam, mihi videtur repetenda origo veſpertinæ ſolemnis Proceſſionis die ſancto Paſchatis apud Clerum Vaticanum modo uſitatæ.Sed operæ pretium eſt, ut vetuſtiſſimi, quem mox paucis expoſui, Ritus veſpertini Paſchalis congrua teſtimonia producantur, ipſumque non in Romana tantum Urbe, ſed in aliis quoque Cathedralibus Eccleſiis religioſe obſervatum antiquitus fuiſſe demonſtretur.

Inter vetuſta monumenta ad ſacros Eccleſiæ ritus ſpectantia magni certe facere debemus Romanum Ordinem, quem anno MDLXI. Georgius Caſſander edidit primum, deinde Melchior Hittorpius recudit, ac demum Jo. Mabillonius accuratius evulgavit. Hittorpianus autem Romanus Ordo ſic habet, veſperarum Paſchalium ritum exponens: „ Die ſancto Paſchæ conveniente Schola (1) temporius cum Epiſcopis, & Diaconibus „ ad Sanctum Joannem in Eccleſia majore ad „ locum Crucifixi incipiunt *Kyrie eleiſon*, & veniunt uſque ad altare aſcendentibus Diaconibus in pogium (2) Epiſcopi, & Presbyteri ſta- „ tuun-

(1) Cantorum Collegio.

(2) Pogii vocabulo cancellos, ſive tabulas, quibus ſanctuarium a Choro, & Eccleſia diſcernitur, intelligit Ven.Card.Thomaſius in Schol. ad Reſponſor. & poſt eum Mabillonius.

„ tuuntur in locis suis , & Schola ante Alta-
„ re . Finito *Kyrie eleison* innuit Archidiaconus
„ primo scholæ , & ille inclinans se illi , inci-
„ piat Alleluja cum psalmo , *Dixit Dominus Do-*
„ *mino meo* . Post hunc innuit secundo scholæ , vel
„ cui voluerit , sed & omnibus incipientibus hoc
„ modo præcipit . Dicitur igitur Alleluja cum
„ psalmo *Confitebor* . Inde salutat primus scho-
„ læ Archidiaconum , & illo innuente , dicit
„ primus scholæ *Alleluja* cum psalmo *Beatus vir* .
„ Quo finito , primus Scholæ cum paraphonistis
„ infantibus incipiat responsorium gradalem , (1)
„ *Hæc dies* , cum versu *Confitemini Domino* . Quo
„ finito incipiat primus scholæ cum melodis in-
„ fantibus *Alleluja, Pascha nostrum* (2) , & respon-
„ dent paraphonistæ . Sequitur versus , *Epule-*
„ *mur* (3) Inde melodia . Hoc ordine expleto in-
„ cipit Archidiaconus in Evangelio (4) antipho-
„ nam , *Et respicientes* (5) Post hanc dicit Sacer-
„ dos orationem: & descendunt ad fontes (6) cum
„ antiphona , *In die Resurrectionis meæ* (7) Quam
„ ut finierint , dicit primus scholæ *Alleluja* cum
„ psal-

(1) Scilicet Graduale , quod in Missa Resurrectionis Domini vel hodie recitatur .

(2) Ex vers. 7. cap. 5. epist. I. ad Corinth.

(3) Ex loco mox cit. v. 8.

(4) Nimirum cantico *Magnificat* , quod sane Evangelium appellatur quia ex Evangelistæ Lucæ cap. 1. desumptum est .

(5) Marc. cap. 16. versu 4.

(6) Sacri Baptismatis administrationi dicatos .

(7) Ex versu 8. cap. 3. Sophoniæ .

,, psalmo, *Laudate pueri Dominum*. Deinde *Alle-*
,, *luja* cum psalmo, *In exitu Israel*. Deinde pri-
,, mus scholæ dicit cum pueris *Alleluja*. *Venite*
,, *exultemus* (1) cum versu *Praeoccupemus*. Post
,, hunc sequitur Diaconus, & dicit antiphonam,
,, *Cito euntes*: (2) deinde sequitur oratio. Tunc
,, vadunt ad Crucem canentes Antiphonam, *Vidi*
,, *aquam* (3): sive *Christus resurgens a mortuis* (4):
,, & sequitur oratio. Deinde descendunt prima-
,, tes Ecclesiæ ad accubita, invitante Notario
,, Vicedomini (5), & bibunt ter de Græco pri-
,, mo, de Pictisi (6) secundo, de Procovia (7)
,, tertio. Postquam biberint omnes presbyteri,
,, & acolythi per singulos Titulos redeunt ad fa-
,, cien-

(1) Psal. 94.

(2) Matth. cap 28. v. 7.

(3) Antiphonam scilicet, ut constat ex adducendis infra, quæ ad aquæ lustralis aspersionem canitur Paschalibus Dominicis, & quæ quoad sensum respicit initium capitis 47. Ezechielis: Ubi per aquas e templo emanantes, allegorice, & principaliter Septem Sacramenta, omnia Sancti Spiritus dona, & doctrinam Evangelicam, cæteraque beneficia, quæ ex Solio Divino per Altare, ideft Christum, primo in Sion, deinde in universum Orbem effluxerunt, defluuntque continuo, significari docent Hieronymus, atque Theodoretus, aliique nonnulli recentiores Interpretes, ut Tirinus in hunc Ezechielis locum observat.

(4) Rom. cap. 6. v. 9.

(5) Vicedominum dicebant Officialem, qui Palatii Pontificii, hospitumque excipiendorum curam gerebat.

(6) Al. Pactisi.

(7) Alibi *Procoma*. Mabillonius adnotat, Pactisim, & procoviam; seu Procovium, aut Procomam, loca esse ubi hoc genus vini nascebatur. Πρόχυμα in Græco-Lat. Joannis Crispini Lexico dicitur vinum sponte defluens antequam premantur uvæ.

„ ciendos vesperos. Ipsi enim tantummodo su-
„ per psalmos *Alleluja* dicunt, & ante Evange-
„ lium responsorium gradalem, *Hæc dies*, sine
„ versu, & *Alleluja* tantum primum: deinde ora-
„ tionem. Et bibent de dato Presbyteri (1)
„ Hæc ratio per totam hebdomadam servabi-
„ tur usque in Dominicam post albas, *Alleluja* &
„ antiphonis mutatis tantum singulis diebus,
„ psalmos vero eosdem canunt.„

Libellus hic a Cassandro, ac Hittorpio vulgatus, secundæ Stationi, quæ ad Fontes est, psalmum CXII. simul, & CXIII. nimirum, *Laudate pueri Dominum*, & *In exitu Israel ex Aegypto* assignans; quamquam Durandum *Rational. Div. Off. lib. 6. cap.* 89. consentientem habet, tamen a Ruperto Abbate Tuitiensi *lib.* 8. *de Divin. Offic. cap.* 2. ab Amalario Ord. Antiph. *cap.* 52. & a Romano Ordine Mabilloniano, cujus locum proxime dabo, sane dissonat: hi enim secundæ Stationi centesimum duodecimum solummodo psalmum constituunt. Quum vero iidem, & ipse prælaudatus Durandus psalmum CXIII. tertiæ Stationi, quæ ad Crucem sive ad aliud altare est, unanimiter addicant, suspicari forsitan liceret depravatum, aut mutilum esse datum ex Hittorpio Ro-

(1) Forte hæc sententia intelligi sic posset: Presbyteri, & Acolythi bibent vinum, aut liquorem alium eis a proprio Titulari presbytero dandum; etsi Morettus de Presbyt. part. 3. sec. 2. num. 5. & 6. Datum *Presbyteri* interpretatur Presbyterium, quia hoc erat donum, seu munus Romani Pontificis, nempe *Supremi Presbyteri*, a quo dictum *Presbyterium*.

Romani Ordinis locum, ubi de tertia illa Statione ſermo quidem eſt, at nulla prorſus de CXIII. pſalmo ad eam canendo fit mentio. Nihilominus conſtat, juxta ritum aliquot Eccleſiarum, in una ipſa Statione pſalmo CXII. pſalmum CXIII. adjungi conſueviſſe.

Quoad refectionem, quæ veſpertinas preces abſolutas mox ſequebatur, ut ex utroque libello diſcimus; hanc inter Pontificias largitiones Presbyterii ſæpiſſime vocabulo deſignatas Petrus Morettus in ſua de *Ritu dandi presbyterium* lucubratione *part.* 3. *ſect.* 1. *num.* 15. recenſet. Meminerit Lector quæ in præcipuis diebus feſtis poſt oblatum ſolemne ſacrificium Romanus Pontifex inſtruebat convivia a Benedicto Canonico in ſuo Ordine, *num.* 23. & 48. deſcripta: Meminerit etiam quod Petrus Mallius *cap* 2., tradit, Vaticanæ Baſilicæ Canonicis, qui ad Palliorum Archiepiſcopalium benedictionem ſacras vigilias celebraverant, *optimum claretum*, ideſt optimum vinum optimis aromatibus conditum, ut Maphæus Vegius *lib.* 3. *Rer. Mirab. Baſil. Vatic.* explicat, abundanter exhiberi conſueviſſe; & ſic perfectis Divinis conſolationibus tum conſolari corpora incipiebant, ait idem Vegius, decimiquinti Eccleſiæ ſæculi Scriptor eximius, cujus tamen ætate illud lætitiæ monumentum jam exoleverat. Non abſimilis fuit Veſpertina Paſchalis refectio, de qua Benedictus Canonicus paulo ante allegatus, ita *num.* 49. loquitur: *Finitis tribus veſperis*

in

in Basilica Salvatoris , & ad Fontes , & ad S Crucem , redit Dominus Pontifex in præparatam porticum posito ibi facistorio (al. faldistorio) sedet ipse , & alii Ordines circa eum . Architriclinus autem cum aliis juvenibus ordinate præparat ante Dominum Pontificem potionem , & vinum bibit ipse , & omnes alii bibunt . Interim Cantores surgunt , & cantant hanc sequentiam (1) *græcam* : Πάσχα ἱερὸν ἡμῖν σήμερον (latine , Pascha sacrum nobis hodie). *Qua sequentia finita , eunt , & osculantur pedes Pontificis , & dat eis bibere coppam potionis . Sic omnes læti recedunt .*

Ad potandum vocati , ut Ordinis uterque codex habet , descendebant ad accubita , quo nimirum nomine designantur coenacula , seu triclinia apte instructa ad epulandum , & hospites excipiendos , vel sedes cœnatoriæ instar lectulorum ad accumbendum mensæ . Ædificia illa extabant cum ad Vaticanum , ut apud Anastasium Bibliothecarium in Gregorio III. *num.* 13. & in Leone item III. *num.* 27. videre est , tum ad Lateranum , ubi ex eodem libro Pontificali a Zacharia , & Gregorio IV. triclinia constructa fuisse intelligimus , & aliud , cujus reliquias nostra quoque ætate conspeximus longe magnificentius a Leone III. erectum , ac postea a Leone IV. instauratum novimus, Leonianum propterea dictum .

Quem apud Hittorpium vidimus antiquum Ve-

(1) Ipsam Græce , & Latine integram exhibemus infra .

Vesperarum Paschalium ritum, hunc & auctiorem prodat nunc Ordinis Romani libellus alter titulo prænotatus, *De Officiis in noctibus a Cœna Domini usque in Pascha*, ex vetustis codicibus Colbertino, & Vaticano a Joanne Mabillonio publici juris factus *tom.2. Musei Ital. pag.36.*; & veluti appendix primo Ordini Romano subjunctus. In hoc enim libello, sive appendice ita legimus:
„ Ad vesperos diei Paschæ sancti conveniente
„ schola temporius cum Episcopis, & Diaconi-
„ bus in Ecclesia majore ad locum Crucifixi, in-
„ cipiunt *Kyrie eleison*, & veniunt usque ad alta-
„ re. Ascendentibus Diaconibus in pogium, Epi-
„ scopi, & Presbyteri statuuntur in locis suis,
„ & schola ante altare. Finito *Kyrie eleison* an-
„ nuit Archidiaconus primo scholæ, & ille incli-
„ nans se illi, incipit *Alleluja* cum psalmo *Dixit*
„ *Dominus Domino meo*. Post hunc annuit secun-
„ do, vel cui voluerit: sed & omnibus incipien-
„ tibus hoc modo præcipit. Dicit igitur *Alleluja*
„ cum psalmo cx. Sequitur post hunc primus
„ scholæ cum paraphonistis infantibus, *Alleluja*,
„ & respondent paraphonistæ. Sequitur Subdia-
„ conus cum infantibus *Alleluja*, *Dominus regna-*
„ *vit* (1) & reliqua: & semper respondent pa-
„ ra-

(1) Psal. 92. Hic mihi notandum illud succurrit, quod quum ea olim fuerit, quemadmodum hi Ordines demonstrant, Paschalibus vespertinis precibus forma, ut post Alleluja, qui psalmos sequitur, versus aliquot canerentur, ad hujusmodi versus videtur Amalarius re-

„ raphoniſtæ, & adnunciant verſum ſecundum
„ infantibus ℣. *Parata ſedes tua Deus*. Item ver-
„ ſum tertium *Elevaverunt flumina Domine*. Poſt
„ hos verſus ſalutat primus ſcholæ Archidiaco-
„ num, & illo annuente incipit *Alleluja* cum
„ melodiis infantium, Qua expleta reſpondent
„ paraphoniſtæ ſemel. Poſt hanc incipit tertius
„ *Alleluja* cum Pſalmo CXI. Hunc ſequitur *Alle-*
„ *luja Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus* ℣. *Epu-*
„ *lemur in azymis* (1). Hoc expleto, ordine quo
„ ſupra incipit Archidiaconus in Evangelio An-
„ tiphonam: *Scio quod Jeſum quæritis* (2), vel,
„ *Jeſum quem quæritis* (3). Poſt hæc dicit ſacer-
„ dos orationem (4) & deſcendunt ad Fontes
„ cum antiphona: *In die reſurrectionis meæ* (5):
„ quam ut finierint, dicit primus ſcholæ *Alle-*
„ *luja* cum Pſalmo CXII. Sequitur *Alleluja*.
„ Ὁ Κύριος ἐβασίλευσεν (6): item verſum,
„ Καὶ γὰρ ἐστερέωσε τὴν οἰκουμένην ἥτις οὐ σα-
„ λευθήσεται (7). Finito ordine quo ſupra, poſt
„ hanc

reſpexiſſe, cum in libro de Ord. Antiphonarii cap. 12. ſic ait: *In ea ſtatione, in qua Apoſtolicus celebrat veſpertinale officium, Alleluia canitur cum omni ſupplemento, & excellentia verſuum, & ſequentiarum*.

(1) I. ad Corinth. cap. 5. v. 7. 8.

(2) Matth. cap. 28. v. 5.

(3) Marc. cap. 16. v. 6.

(4) Quænam ſit hæc oratio, uti etiam aliæ, de quibus poſtea fit mentio, oſtendam infra ubi Vaticanæ Baſilicæ monumentum illuſtratur.

(5) Ex Sophon. cap. 3. v. 8.

(6) Latine *Dominus regnavit*. Pſal. 92.

(7) Nempe, *Etenim firmavit Orbem Terræ qui non commovebitur*. Pſ. 92.

„ hanc sequitur Diaconus secundus in Evange-
„ lio ant. *Venite, & videte locum ubi positus erat*
„ *Dominus* (1) *All. all.* Deinde dicit Sacerdos ora-
„ tionem: & tunc vadunt ad S. Joannem ad Ve-
„ stem (2) canentes ant. *Lapidem quem reprobave-*
„ *runt* (3), deinde *All.* cum Psalmo CXIII. Deinde
„ primus Scholæ dicit cum pueris: *All. Venite*
„ *exultemus Domino* ℣. 2. *Praeoccupemus faciem*
„ *ejus*. ℣. 3 *Hodie si vocem ejus*. Post hoc sequi-
„ tur Diaconus ant. *Cito euntes dicite discipulis*
„ *ejus* (4): deinde oratio semper absque *Kyrie*
„ *eleison*, & tunc vadunt ad S. Andream (5) ad
„ crucem, canentes ant. *Vidi aquam egredientem*
„ *de templo a latere dextro*. *All. & omnes ad quos*
„ *pervenit aqua ista, salvi facti sunt, & dicent*.
„ *All. all.* (6). Post hanc dicent: *All.* cum Psal-
„ mo CXIIII. (7) Quo finito Schola incipit: *All.*
„ *Venite exultemus Domino*; & reliqua, ut supra.
„ Post dicitur ant. *Cito euntes*, & deinde ora-
„ tio. Deinde descendunt primates Ecclesiæ ad
„ accubita, invitante Notario Vicedomino, &
„ bibunt ter, de Græco semel, de Pactis se-
„ mel, de Procoma semel. Postquam biberint
„ omnes Presbyteri, & omnes Diaconi, seu Sub-
„ dia-

(1) Matt. cap. 28. v. 6.

(2) Qui locus paulo infra explicatur.

(3) Psal. 117. v. 22.

(4) Matt. cap. 28. v. 7.

(5) De quo dicitur paulo infra.

(6) De hac Antiphona superius locuti sumus.

(7) Legendum esse opinor CXIII. ut infra ostendam.

„ diaconi, vel omnes Acolythi per ſingulos ti-
„ tulos redeunt ad faciendos Veſperos, & bi-
„ bent de dato Presbyteri. „

Quum nonnulla hujus monumenti loca ex ſuperioribus ad Hittorpianum Ordinem notis facili negotio intelligi queant, alia nunc, quæ ejuſdem monumenti propria ſunt, paucis illuſtrari debent. In eo quippe legimus, *vadunt ad Sanctum Joannem ad Veſtem*: ad quæ verba Mabillonius obſervat, in quibuſdam deeſſe *τὸ ad veſtem*: & apud vulgatum Alcuinum haberi, *ad Sanctum Joannem ad Fontes, ſeu ad Veſtem*: tum vero meminit, extare nunc quoque Oratorium S. Joannis Baptiſtæ ad Fontes Lateranenſes a Beato Hilaro Papa conſtructum; quod (ita demum conjicit) quia fortaſſe baptizandi veſtes ibi deponebant, eaſdemque jam baptizati ibidem reſumebant, dictum eſt *Sancti Joannis ad Veſtem*.

De Stationis loco, qui in hoc libello dicitur *ad S. Andream*, prælaudatus Mabillonius advertit, templum S. Andreæ proximum fuiſſe Baſilicæ Vaticanæ a Symmacho Papa erectum. Factum ſane vulgatus Anaſtaſius enarrat: Sed minus opportuna hæc obſervatio videtur, quod ſacram functionem veſpertinam hic libellus exhibet in Lateranenſi Eccleſia celebratam. Jam vero ad Lateranum; præter Monaſterium Sanctorum Andreæ, & Bartholomæi, dictum quoque Honorii Papæ, ab Hadriano I. Pontifice, ut ex prædicto Anaſtaſio diſcimus, inſtauratum; exiſtebat

bat etiam Oratorium S. Andreæ, de quo Joannes Diaconus in Ecclesiæ Lateranensis descriptione, quæ ex vetusto codice a Dominico Georgio *Liturg. Rom Pont. tom* 3. *pag* 551. edita est, sic refert: *Retro Ecclesiam S.Salvatoris quatuor sunt Oratoria*: *unum est, quod habet duas absidas, sub una est altare* S. ANDREÆ, *&* S *Luciæ, sub alia absida est altare SS Rufinæ, & Secundæ &c.* Itaque S. Andreæ aram hic a Joanne Diacono memoratam, aut si mavis, monasterium prædictum, cujus Monachi Divinam in Lateranensi Basilica persolvere psalmodiam debebant, per ea verba *Vadunt ad S Andream*, indicari existimo. Nec prætermittendum puto, etiam in codice descriptionem Lateranensis Basilicæ a Joanne Diacono concinnatam præferente, qui a Mabillonio *tom.* 2. Musei Italici editus est, plurimum tamen differt ab alio, quem prædiximus, Mito per Georgium postea vulgato; *cap* 12. Altare SS. Andreæ, & Luciæ diserte commemorari. In processu tandem, ac Statione *ad S Andream* hic quem versamus, Mabillonianus Romani Ordinis libellus Psalmum CXIIII. canendum indicit. At ego cogitans, facile in notas numerales posse mendum irrepere ex amanuensis, aut typographi oscitantia, factum esse crediderim, ut hic mendose CXIIII, pro CXIII. legatur. In hanc me opinionem adducunt cum veteres Romanæ Ecclesiæ rituales libri, tum liturgici scriptores, qui Psalmos quidem die Dominica Resurrectionis Christi ad vesper-

pertinam horam recitandos singillatim designant, sed inter eos Psalmum centesimum decimum quartum minime recensent. Et si forte aræ sacræ plures quam fere decretæ erant, invisendæ forent, ne tunc quidem Psalmus ille CXIIII. canebatur, sed proximus CXIII. *In exitu Israel* repeti solebat: cujus rei luculentus testis est Amalarius in libro de ordine antiphonarii *cap.*52. ubi describens Dominicæ Resurrectionis officium, sic inquit: *In vespertinali post tres Psalmos canitur unum* Alleluja *ante hymnum Sanctæ Mariæ* (nimirum ante canticum *Magnificat*); *post quartum* (scilicet Psalmum) unum (idest Alleluja); *post quintum unum, quæ pertinent ad Crucem, & ad Fontes. In Romano enim Ordine invenitur in ipsa die Resurrectionis Domini repetitus Psalmus*, In exitu Israel: *Hoc enim fit propter multiplicia altaria illius loci, ubi illa die statio fit*. Insuper meæ conjecturæ suffragatur Codex Mss. membranaceus Palatino Vaticanus signatus *num.*487. ex quo Venerab. Servus Dei Joseph. M. Carus, scilicet Thomasius S.R.E. Cardinalis sanctitate, & doctrina plane eximius anno *1686.* Ordinem Officiorum *in noctibus a Cœna Domini usque in Pascha* (ipsum inquam Ordinem, qui ex Colbertino etiam Codice a Mabillonio recusus est Appendicis titulo, & cujus portionem nos supra recitavimus) evulgavit ad calcem *Responsorialium, & Antiphonariorum Romanæ Ecclesiæ pag.*387. *& seqq. edit. Rom. an.*1686. Hic enim in processu, & Statione *ad*

S. An-

S. Andream ad Crucem pſalmus non CXIIII. ſed CXIII. recitari præſcribitur.

Inſalutatus præteriri non debet mos, quem in prolato monumento vidimus, certos nimirum in ſacra Functione verſus Græca lingua concinendi: immo dum poſt abſolutas Veſperas corpora ſelectis poculis recreabantur, piam ſequentiam, uti dicebant, ſeu proſam XII. Eccleſiæ Sæculo cani conſuevit, quam a Benedicto Vaticanæ Baſilicæ Canonico memoratam ſupra obſervavimus, quamve ex Joanne Severano lib. *de ſeptem Urbis Eccleſiis p.* 503. edit. Rom. MDCXXX. integram huc referimus ſic habentem.

Πάσχα ἱερὸν ἡμῖν σήμερον ἀναδέδειχθαι, πάσχα καινὸν, ἅγιον, πάσχα μυςικὸν, πάσχα πανσεβάσμιον, πάσχα Χριςὸς ὁ λυτρωτής, πάσχα ἄμωμον, πάσχα μέγα, πάσχα τῶν πιςῶν, πάσχα τὸ πύλας ἡμῖν τȣ̃ παραδείσȣ ἀνοίξαν, πάσχα πάντας ἁγιάζον πιςȣ́ς. Τὸν Ῥώμης Πάπαν, Χριςὲ, φύλαξον. Ideſt: *Paſcha ſacrum nobis hodie oſtenſum eſt, Paſcha novum, ſanctum, Paſcha myſticum, Paſcha maxime venerandum, Paſcha Chriſtus Redemptor, Paſcha immaculatum, Paſcha magnum, Paſcha fidelium, Paſcha quod portas nobis Paradiſi aperuit, Paſcha quod omnes ſanctificat fideles. Romæ Papam, Chriſte, ſerva.*

Sequentiam hanc, ſive proſam Romanus Cencii Card. Sabellii Ordo *cap.* 15. *num.* 36., prout a Mabillonio vulgatus eſt, græce exhibet aliquantulum diverſam: & juxta lectionem, quam ſequuti

quuti hic sumus, ipsa extat, si ultimum excipias versum, in Græcorum Triodio anno MDCCXXXVIII. typis commisso, ubi in solemni Dominicæ Resurrectionis officio tum mane canitur, tum vespere. Cur autem usuvenit, ut græca quædam latinis miscerentur non modo in hac functione, verum etiam in aliquibus aliis sacris officiis, veluti cum in majoris hebdomadæ Sabbato Sancto duodecim Lectiones græce, & latine recitabantur, duplex ratio ab antiquis redditur, unio scilicet utriusque populi, & Græcorum præsentia functionibus Latinorum. Secunda hæc ratio mihi est potior, cum Romæ degeret non parvus Græcorum numerus, quibus ex Oriente ad Urbem confugientibus Summus Pontifex Paulus I. Monasterium, & ecclesiam Sanctorum Stephani, & Silvestri inhabitanda, & religiose colenda tradidit (1). Itemque Antistes maximus Paschalis Primus in Sanctæ Praxedis cœnobio, & Sacra æde Græcos constituit (2): & præterquam quod Schola Græca in vetustis Urbanis monumentis disertissime commemoratur, laudatus superius Cencius Camerarius Card. Sabellus in suo Romano Ordine, *Cap.* 18. *num.* 40. S. Cæsarium Græcorum, & S. Gregorium Græcorum inter Ecclesias Urbis recenset. In illorum itaque gratiam, ut opinor, quando ipsi latinorum functionibus aderant, aliquæ lectiones sacræ aut divinæ

(1) Apud Anastasium Bibliothecarium in Paulo I. n.5. edit. Vignolii.

(2) Apud citat. Anastasium in Paschali I. num. 9.

næ laudes græce canebantur. Quid ſimile in præſentiarum uſuvenit in Vaticana S PETRI Baſilica: ad hanc quippe die 17. Kal. Julii, translationi Corporis S. Gregorii Nazianzeni ſacra, collegii Græci alumnos conferre ſeſe, atque ab uno eorum inter Miſſarum ſolemnia ſermonem Græce, & Latine haberi certum eſt.

CAPUT III.

Veſpertinus idem Ritus in Vaticana Baſilica olim uſitatus oſtenditur ex veteri monumento.

SIngulari quidem veneratione, ac honore maxime digna eſt Lateranenſis Eccleſia ob ſui primatus rationem, non tamen iccirco Vaticanæ Sancti Petri Baſilicæ neganda eſt Eccleſiæ Cathedralis dignitas. Hujus rei multa argumenta proferri ſane poſſunt: ſed inſtituto noſtro ſatis eſt ſi teſtimonium omni exceptione majus huc adducatur, ſcilicet Innocentius III. Pontifex ſapientiſſimus, ac rerum Eccleſiæ Romanæ peritiſſimus. Is enim in epiſtola ad Archipresbyterum, & Clericos Plebis Aretinæ, ſeptimo Pontificatus anno apud Lateranum XIII. Kal. Maij data, atque ex tabulario Apoſtolico ſecreto Vatic. (1) a Philippo Cappello (2) & Creſcimbenio (3) ty-

(1) Regeſt. epiſtolarum Innocentii III. Pontificat. an. VII. fol. CXXII.

(2) De Eccleſia S. Anaſtaſiæ pag. 42. & ſeq.

(3) De eadem ſacra æde pag. 46. & ſeq.

typis vulgata , de Vaticana Principis Apoſtolorum Baſilica , & Eccleſia Lateranenſi luculentiſſime pronunciat , quod *Utraque ſit Eccleſia cathedralis*. Id autem præfati obiter ſumus , quia quem in Lateranenſi Eccleſia uſitatum perſpeximus veſperarum Paſchalium ritum , in Vaticana quoque baſilica ſolemnem fuiſſe , ſingillatim oſtendamus nunc oportet : nec valde in hoc nobis elaborandum ; in ipſius enim Baſilicæ tabulario extat membranaceus codex XII. Eccleſiæ ſæculi cadentis , aut XIII. ineuntis , Reſponſoriale , & Antiphonarium ad uſum Canonicorum S.Petri continens , ac inter alios rituales Sanctæ Romanæ Eccleſiæ veteres libros a Venerabili Card Thomaſio typis in lucem prolatus , illuſtratuſque. In eo autem ad Dominicam Reſurrectionis Jeſu Chriſti poſt matutini , & horæ primæ officia ſic legitur :

„ Incipit ordo veſperarum Paſchalium.

„ Omnes induti ſericis indumentis ordi-
„ nate ingrediuntur Eccleſiam ; cruce , & thuri-
„ bulo cum incenſo , & facula baptiſmi præce-
„ dente , & ſtantes in medio chori Canonico-
„ rum , ſubmiſſa voce dicunt Nonam ; & ſer-
„ vato ordine vadunt ante cruces cantando no-
„ vies *Kyrie eleiſon* uſque ad altare Beati Petri .
„ Tunc Prior incipit antiphonam : *Alleluja , alle-*
„ *luja , alleluja , alleluja* , Pſ. *Dixit Dominus* .
„ Antiph. *Alleluja , alleluja , alleluja , alleluja* ,
„ *alleluja* . Pſal, *Confitebor* . Alleluja . ℣. *Dominus*
„ *re-*

„ *regnavit, decorem induit: induit Dominus for-*
„ *titudine, & præcinxit se virtute*. Primicerius
„ ℣. *Parata sedes tua, Deus. Ex tunc a sæculo:*
„ *Ex tunc a seculo tu es*. Primicerius ℣ *Elevave-*
„ *runt flumina Domine*. Schola: *Elevaverunt*. Se-
„ cunda: *Elevaverunt flumina voces suas*. Ite-
„ rum ant. *Alleluja, alleluja, alleluja, alleluja,*
„ *alleluja, alleluja*. Psal. *Beatus vir*. In evang. (1)
„ ant. *Cito euntes, dicite discipulis: Quia surrexit*
„ *Dominus Alleluja, alleluja*. Psal. *Magnificat* (2),
„ Oratio. *Concede quæsumus omnipotens Deus,*
„ *ut qui* (3). Ant. per viam ad Sanctam Crucem.
„ Ant. *In die resurrectionis meæ, dicit Dominus,*
„ *alleluja, congregabo gentes; & colligam regna* (4):
„ *& effundam super vos aquam mundam* (5), *alle-*
„ *luja*. Primicerius Ant. *Alleluja alleluja, alle-*
„ *luja, alleluja alleluja*. Psalm. *Laudate pueri*.
„ Ant. *Venite, & videte locum ubi positus erat*
„ *Dominus. alleluja*. Cant. *Magnificat*. Oratio *Præsta*
„ *quæsumus omnipotens Deus, ut qui gratiam* (6)

 „ Ad

(1) Nempe canticum Magnificat ex Lucæ Evang. cap. 1., ut supra innuimus. (2) Canticum Magnificat psalmus quoque appellatur.

(3) Hæc Oratio apud Venerab. Card. Thomasium in Orationali pag. 16. primæ edit. sic habet: *Concede quæsumus, omnipotens Deus, ut qui resurrectionis Dominicæ solemnia colimus; innovatione tui Spiritus, a morte animæ resurgamus. Per eumdem &c.*

(4) Sophoniæ Prophetæ verba sunt cap. 3. v. 8.

(5) Postrema verba hæc, *Et effundam* &c. extant apud Ezechielem cap. 36. v. 25.

(6) *Dominicæ resurrectionis agnovimus; ipsi per amorem Spiritus a morte animæ resurgamus. Per eumdem*. „ In hunc modum ex prælaudato Ven. Thomasio loc. cit. debet oratio suppleri.

„ Ad Fontes.

„ *Vidi aquam egredientem de templo a latere de-*
„ *xtro. alleluja Et omnes ad quos pervenit aqua,*
„ *hi salvi facti sunt* (1), *& dicent, alleluja* · Ant.
„ *Alleluja, alleluja, alleluja, alleluja alleluja.*
„ Psalm. *In exitu* Ant. *Scio quia Jesum quaritis*
„ *crucifixum; surrexit* (2), *alleluja* Ps *Magni-*
„ *ficat*. Oratio:*Concede quæsumus omnipotens Deus,*
„ *ut qui peccatorum* (3). Ant *Crucifixum in carne*
„ *laudemus: alleluja alleluja, alleluja: & sepul-*
„ *tum propter nos glorificemus; alleluja, alleluja;*
„ *Resurgentem de morte, venite, adoremus, alle-*
„ *luja, alleluja*. Sequitur sequentia *Mane pri-*
„ *ma sabbati* (4). In Evang. Ant *Venit Maria,*
„ *nuntians discipulis: quia surrexit Dominus. alle-*
„ *luja, alleluja*. Psal. *Magnificat*. Oratio *Deus*
„ *qui per Unigenitum* (5). „ Hactenus codex antiphonarius, & responsorialis, notis musicis distin-

(1) Antiphona hæc spectat ad ea, quæ in Ezechiele cap.47. ver.1.2.8. & 9. legimus, ut superius demonstratum est.

(2) Matth. cap 28. v. 5. 6., Marc. cap.16 v 6.

(3) *Nostrorum pondere premimur, a cunctis malis imminentibus per hæc Paschalia festa liberemur. Per.* „ Ita in prædicto Orationali, feria secunda post Pascha ad Vesperas.

(4) Sequentiam hanc dabimus infra.

(5) Hæc Oratio nisi illa sit, quæ in Resurrectionis Dominica recitatur, procul dubio eadem est, quam in commemorato Orationali Thomasius refert in hunc plane modum. „ *Deus qui per Unigenitum tuum æternitatis nobis aditum, devicta morte reserasti, da nobis, quæsumus, ut qui resurrectionis Dominicæ solemnia colimus, per innovationem tui Spiritus, a morte animæ resurgamus. Per eumdem.* „ .

ſtinctus, & in Vaticanæ Baſilicæ Archivo, ubi adhuc ſervatur, ſignatus 79. B.

Hunc librum ad uſum fuiſſe Canonicorum ejuſdem Vaticanæ Baſilicæ, Clariſs. Thomaſius editor ſcite adnotavit. Quamvis enim id codex in titulo diſertis, & explicatis verbis non præſeferat, ex iis tamen, quæ in ipſo volumine occurrunt, maxime perſpicuum fit. Nam in Kalendario, quod illi præfigitur, expreſſim enunciatur VIII. Kal. Aprilis *Conſecratio altaris S. Petri*, & in VIII. Idus Novembris *Conſecratio altaris S. Mariæ de cancellis*. Hæc autem ad Vaticanam beati Petri baſilicam ita pertinent, ut nulli alii ſacræ ædi aptari poſſint: ſiquidem cum Calixtus II. Summus Pontifex, ut literis prodiderunt Romanus Canonicus in deſcript. Vatic. baſil. cap.54., & Vegius lib.2. Rerum memorabilium ipſius Vaticani templi, in celebri die annunciationis beatæ Mariæ, quæ VIII. Kal. Aprilis colitur, magno cum Epiſcoporum Sacerdotumque conventu, ac populorum applauſu, inſtauratum ab ſe & ornatum S. Petri altare conſecraſſet; hujus dedicationis memoriam pro illius ætatis more Clerus Vaticanus celebrare olim conſuevit: eodemque ritu, ac pietate ſextam Novembris diem venerabatur, anniverſariam ſcilicet conſecrationis altaris S. Mariæ de cancellis, quam inter dies feſtos ab ipſo Clero agendos Nicolaus III. Pont. Max in conſtitutione apud Bullarium Vatic. baſil. tom.1. pag.186. recepſet. In eximio autem

ſa-

ſacello, quod S.Paulus Papa I. in angulo tranſverſæ navis priſci templi Vaticani ad occidentem, & meridiem vergente, uti ex Ichnographica Jacobi Alpharani tabula *num.* 17. intelligimus, erigendum curavit, ſacra hæc ara exiſtebat, quam oblationibus quoque Fidelium diſtinctam fuiſſe, prælaudata Nicolai III. ſanctio *loc. cit. pag.* 183. luculenter innuit. Præterea in eodem codice, ubi Officium noctis Natalitiæ Domini ordinatur, legimus; Finitis lectionibus. quinque vel ſex Canonicos in chori meditullio canère ſimul debuiſſe antiphonam, *Ecce Maria genuit &c.*, & chorum utrumque reſpondere ſolitum, *Ecce Agnus Dei*; quibus continuo iſta ſubnectuntur: *Finita antiphona proceſſionaliter imus ad Sudarium Chriſti cantando*, Te Deum laudamus, *& ibi celebramus Miſſam*. In officio autem defunctorum ſic idem codex habet: *Ant. per porticum juxta paradiſum, quam antiphonamus cum* (Pſalmo) Miſerere, *uſque ad portam Judicii*. Quiſquis vero hæc animadverterit, & cum veterum ſcriptorum narrationibus contulerit, ea unius Vaticanæ Baſilicæ propria eſſe facili negotio perſpiciet. Nam vetuſtiſſima Jeſu Chriſti Domini effigies, Sudarium, & Veronica, & Vultus Sanctus ab antiquis appellata, jam pridem decorat Vaticanum beati Petri templum, in cujus extrema parte boreali in celebri Sacello Joannis VII. Pontificis cura extructo olim cuſtodiebatur, ut Romanus *cap.* 19. Vegius *lib.* 4. & Alpharanus *num.* 115. memoriæ tradiderunt.

Pa-

Paradiſi quoque vocabulum, quemadmodum hic uſurpatur, & Porta Judicii baſilicam Vaticanam extento veluti digito demonſtrant: eo quippe nomine atrium ejuſdem ſacræ ædis a majoribus noſtris deſignatum fuiſſe, in notis ad ipſius baſilicæ Bullarium *tom.* 1. *pag.* 31., & 84. ex priſcis auctoribus oſtenditur, quorum unum huc accerſam, ſcilicet Doni biographum, quo teſte apud Anaſtaſium Bibliothecarium Romanus ille pontifex atrium beati Petri Apoſtoli ſuperius, quod Paradiſus dicitur, eſtque ante Eccleſiam in quadriporticu, candidis, & magnis mirum in modum ſtravit marmoribus. Ex quinque vero templi Vaticani portis unam fuiſſe *Judicii* nuncupatam, nemo certe, niſi hiſtoriæ Sanctuarii hujus omnino expers, ignorat, quum ſplendida ſint tam Romani *cap.*44., vere tamen Petri Mallii, quam Vegii *lib.*2. *cap.* 3. teſtimonia, in quibus recenſetur præter alias porta Judicii, ſic appellata, quod per eam tantummodo mortui ſepeliendi, quaſi a Deo judicandi portarentur, adeo ut qui ex Canonicis, et Beneficiatis in baſilicæ Sacrario tumulandi ſunt, eorum cadavera non niſi per eam portam, quæ nunc dicitur *De' Morti*, in templum inferantur. Quin igitur ad alia provocemus argumenta; ritualis Codex, de quo loquimur, Vaticano Sancti Petri Clero uſui fuiſſe, ex his quæ protulimus, ſatis ſuperque evincitur.

CA-

CAPUT IV.

Datus Vaticani Responsorialis, & Antiphonarii locus explicatur.

PRiusquam vero ultra pergamus, particulæ quædam loci ex eodem Rituale excerpti, pauloque ante exhibiti illustrandæ sunt. Quod itaque primo legitur, omnes sericis vestibus amictos Ecclesiam ingredi debere ordinatim, id aliquo modo convenit cum Alexandri Papæ Quarti constitutione anno MCCLX. edita, qua decernitur, ut clerici Ecclesiarum Urbis in solemni supplicatione VII. Kal. Maij haberi solita ad Vaticanam basilicam *induti vestimentis sericis, aut superpelliceis* accedant; quæ vestes sericæ præsertim pluvialia esse mihi videntur ex celebri Nicolai III. Sanctione pro Vaticano S. Petri clero excusa, prope cujus finem Pontifex jubet, ut quando altari thus adoleri oportet, eo sacerdos *non in capa lanea, sed serica, quæ pluviale dicitur*, sese conferat. Deinde juxta ritualem codicem nostrum procedentes in vespertina paschali supplicatione antecedit *facula baptismi* cum cruce, ac thuribulo. Inter cæteros proventus, quos ex Fidelium oblationibus ad S. Petri Confessionem percipiebant Canonici Vaticanæ basilicæ, hic recensetur, *pro baptismo una facula unius decinæ*, ut legitur in veteri MS. libello apud ejusdem basili-

cæ

cæ archivum *cap*. 2. *fascic*. 255. Cereus autem paschalis, Durando teste, XIII. sæculi scriptore, & episcopo Mimatensi in suo Rationali Divinorum Officiorum *lib* 6. *cap*.80., neophytos tum in Sabbato Sancto ad baptismum, tum septem diebus mox sequentibus in simili scilicet processione vespertina ad Fontes præibat. Et ab Amalario *lib*.1. *de Ecclesiastic. Offic. cap* 33., ubi sermo de neophytis, qui ad Ecclesiam ducebantur diebus paschalibus, memoratur *columna Cerei illuminata præcedens eos*. *Canonicorum chorus*, quem data codicis lacinia meminit, ad ortivam faciem australis parastatæ, quæ sustinebat arcum triumphalem veteris basilicæ Vaticanæ, situs erat, ut Alpharani Tabulam *num* 38. & mss. explicationes inspicienti constat. In pervetusta hujus sacri Templi descriptione a Paulo de Angelis sub nomine Romani canonici, qui anno æræ vulgaris MCLXXXXI. inter vivos agebat, typis impressa, sed Petro Mallio, qui Alexandro III. Pontifice floruit, procul dubio adjudicanda, cap.6. *de choro canonicorum* luculenta fit mentio. Ibi sane, ut ritualis noster habet, Canonicæ horæ nonæ Officium persolvebatur, non quidem continuo post sextam, quemadmodum hodie usus obtinet, sed pomeridiano tempore; ideoque æris Campani sonitum *ad Nonam* præmitti consuevisse, deducimus ex libello de miraculis ad Eugenii III. Pont. Max. tumulum patratis, quod opusculum ab auctore Vaticanæ basilicæ ministeriis addicto compo-

posi-

positum Edmundus Martene *tom. 6.* Veterum scriptorum, & monumentorum *col.* 1139., *& seq.* evulgavit. In Lateranensi quoque Ecclesia consuetas horæ nonæ preces Officium vespertinum statim sequebatur, ut ex Benedicti Ordine Romano *num.* 49. liquet. Discrimen præcipuarum diei partium orationi apud Judeos olim adscriptarum, Christi Ecclesiam vel a suis incunabulis imitatam fuisse, ex Apostolorum Actis *cap.* 3. & priscorum traditione comprobatur. Cum autem juxta Hebræos illo diei spatio, quod ab hora post Solis ortum Nona, sive post meridiem quarta, usque ad Solis occasum percurrit, hora Nona definita fuerit, hinc plane intelligimus, id tempus Officio hujus horæ canonicæ ex primæva institutione persolvendo esse consentaneum: quo alludit hymni Sancto Ambrosio attributi versus, quotidie recitari solitus: *Largire clarum vespere*: eodemque spectant strophæ quædam aliorum veterum ad Nonam hymnorum, qui in Venerab. Card. Thomasii hymnario *pag.* 107. prioris editionis extant. Quamobrem ut laudari debet majorum nostrorum religio, qui Nonæ horæ canonicæ precibus post meridiem, & in diei parte ad vesperam vergente ex Ecclesiæ institutis vacabant, ita dolendum, nullam hodie in Urbe Roma superesse sacram Ædem, in qua divini Officii partes suis propriisque temporibus a Clericorum Collegiis celebrentur: vulnus profecto, quod inter alia, & quidem graviora, disciplinæ Eccle-

clesiasticæ intulit vitæ communis derelictio. Clericis in eodem claustro basilicæ adjuncto commorantibus, eodemque in refectorio vescentibus, quamquam paupertatis voto minime adstrictis, facile erat ad sacras preces statis horis convenire: hinc inter sanctiones pro Vaticanis Sancti Petri Canonicis, Innocentio III. Pontifice Maximo, editas, tum claustri usus confirmatur, tum etiam decernitur, ut *qui* (Canonici) *ad Sextam non venerint, si fuerint præsentes subtrahatur eis panis in prandio. Et qui ad Nonam non iverint, negetur eis panis in cæna.* Sic apud Bullarium basil. Vatic. *tom.*I *pag.* 87.

Qui Nonæ Officium expleverunt, ii servato ordine juxta ritualem codicem *vadunt ad cruces*. Venerabilis Cardin.Thomasius commemorata cruce magna in supradicto arcu triumphali trabi hinc illincque sustentatæ imposita, arbitratur Crucem hanc verbis illis, *ad Cruces* designari. Viri sanctitate, & doctrina clarissimi interpretationem veneror: cui tamen alteram addere ex conjectura mihi liceat. In majori antiquæ Vaticanæ Basilicæ navi locus erat *Ad Crucifixos* appellatus: quod profecto intelligimus ex Benedicto Sancti Petri Canonico, qui in suo Romano Ordine ante annum MCXLIII. exarato nocturnam in ipsa Vaticana Basilica Stationem Dominicæ III. Adventus describens, Summum Pontificem exhibet thure adolentem sacras quasdam aras, hisque accenset *duo altaria in mediana* (navi) *ad Crucifixos, ubi ab*

ab antiquis Patribus audivimus requiescere Apostolos Simonem , & Judam . Neque obscura videtur nominis ratio , quæ ex eo repeti haud difficulter potest , quod Sanctus Pontifex Leo IV . canonico Romano teste in Vaticani Templi Descriptione *cap.* XI. , Crucem magnam auream ad Altare SS. Apostolorum Simonis & Judæ , & ad aliud e regione situm SS Philippi , & Jacobi altare aliam magnam Crucem argenteam fecit posuitque ; atque Alpharanus qui Sixto V. Christianam Rempublicam gubernante floruit , item scriptum reliquerit : *Sacra hac ara* (SS.Simonis & Judæ) *dicebatur ad Crucifixos , quia ibi fuit vetustissima Crucifixi imago , quæ nunc est in Altari S Petronillæ , alius vero Crucifixus cernitur adhuc depictus in pariete supra columnas , infra quem immediate sunt vetustissimæ imagines Apostolorum Simonis , & Judæ* . Locum igitur *Ad Cruces* , & *ad Crucifixos* eundem esse crediderim , in majori scilicet veteris basilicæ navi a januis non valde dissitum ; hic enim SS. Apostolorum Simonis , & Judæ , atque Philippi , & Jacobi altaria sese invicem spectantia extabant , ut patet ipsius basilicæ tabulam ichnographicam a prædicto Alpharano editam *num.* 44. 45. consulenti .

Precum Vespertinarum exordium est pervulgata illa formula *Kyrie Eleison* , quemadmodum in prolatis etiam Ordinibus Romanis perspeximus . Mabillonius advertens in Appendice ab se Ordini Primo Romano adsuta concinendam præscribi eam

eam ipſam formulam, hoc putat contrarium Amalario, *lib.4. de Divin. Offic. cap.23.* ſic affirmanti: „ *Habemus ſcriptum in Romano Ordine ut non di-* „ *catur* Kyrie eleiſon, *ſive* Chriſte eleiſon *ad* „ *ullum curſum in memoratis diebus, ſed ſine retra-* „ *ctione cantemus* Hæc dies quam fecit Dominus: „ exultemus, & lætemur in ea. *Collectam ſolam* „ *ſolet Sacerdos dicere in fine Officij.* „ At oppoſitionem ego non video. Amalarius enim eo in loco negat quidem ex Romano Ordine diebus paſchalibus formulam *Kyrie Eleiſon* præmitti collectæ, ſeu orationi, quæ in fine cujuſque *curſus*, horæ ſcilicet canonicæ dicitur; ſed non inficiatur præparationem ad veſpertinas paſchales laudes eſſe litaniam, *Kyrie eleiſon* in proceſſione ad altare, ut ex eiſdem vidimus libellis, recitandam.

Ad hæc ritualis Codex noſter *Scholam*, *&* *Primicerium* repræſentat, cantores nempe, eiſque præfectum in veſpertina ſacra functione concinentes. Profecto S. Gregorius Magnus ex duobus, quæ cantorum collegio addixit, domiciliis, unum ad gradus baſilicæ S. Petri conſtituiſſe, a Joanne Diacono in hujus Pontificis vita *lib.2 cap.6.* traditur. De Stephano V. alias VI. ad Romanam ſummæ dignitatis Cathedram anno Chriſti DCCCLXXXV. evecto, ait ejus biographus apud Anaſtaſium Bibliothecarium: *Tribuit in hoſphitali beati Gregorii in porticu beati Petri Apoſtoli ſermonum ſanctorum librum unum, & in Schola Canto-*

C rum,

rum, quæ pridem orphanotrophium vocabatur, heptateuchum unum, ideſt volumen primos ſeptem Divinæ Scripturæ libros complectens. Num hic biographi memorati locus ad domicilium, quod juxta Vaticanam baſilicam a S. Gregorio Papa cantoribus erectum, ex Joannis diaconi teſtimonio nuper vidimus, referri debeat, nec certo affirmare auſim, nec inficiari. Id tamen luculentum plane eſt, quod Petrus Mallius *cap.* 4. ſcribit, nempe xenodochium a beato Pontifice Gregorio Magno ad Vaticani templi gradus excitatum fuiſſe, ibique tres cantores cum primicerio conſtitutos, *qui jugiter officiarent Miſſam ad altare beati Petri*: ſatiſque exploratum habemus, primicerium ipſum, & Cantorum Schòlam patriarchalibus præſertim Eccleſiis Urbis inſervire debuiſſe, quod ex Innocentii Quarti Pontif. Max. ſanctione anno MCCL. data, & in Baſil. Vatic. Bullar. *tom.* I. *fol.* 127. relata, apertiſſime evincitur. Hanc ob cauſam ii præterquamquod ab ipſo Innocentio reditibus aucti ſunt, participes erant oblatorum ad Vaticanam S. Petri aram, ut Mallium noſtrum *cap.* 42. 43. *alias* 6. 7. atque Honorii Papæ Tertii diploma apud prædictum Bullarium *tom.* I. *pag.* 105. legenti cuique conſtat.

Poſtquam Clerus coram principe S. Petri ara Divinum Numen laudaverat, precatuſque fuerat inde, quemadmodum in codice noſtro habemus, *ad Sanctam Crucem* procedebat, nimirum, ut equidem opinor ad Sanctæ Crucis ſacellum, ſive

ſive oratorium profecto vetuſtiſſimum, quod a S. Symmacho Pont.Max. extructum fertur, certe a S. Leone III. Summo pariter Antiſtite funditus inſtauratum, ac ſplendidius ornatum fuiſſe, Anaſtaſius Bibliothecarius enarrat: apud quem de prædicto Symmacho illud quoque legimus, quod in S. Petri Apoſtoli baſilica *fecit oratorium S Crucis ex argento in confeſſione, penſ. lib* XXX., *& Crucem ex auro, & gemmis, ubi incluſit lignum Dominicum penſantem libras* X quod librarum decem pondus referri debet ad Crucem, ſeu thecam in modum crucis conflatam, in qua lignum Crucis Domini Noſtri Jeſu Chriſti fuit concluſum; non ad ipſum Sanctæ Crucis lignum, ut Romanus Canonicus, vel a vitiato Libri Pontificalis, ſeu vulgati Anaſtaſii Bibliothecarii codice aliquo deceptus, vel codicis locum oſcitanter percurrens, & ex Romano Maphæus Vegius perperam ſenſerunt. Ceterum cappella prædicta quam in occidentali veteris templi Vaticani parte extitiſſe Alpharanus in ſua Tabula *num.* 35. demonſtrat, Nicolao V Pontifice Eccleſiam regente, diruta fuit, ut ex Pii II. conſtitutione apud ejuſdem baſilicæ Bullarium *tom.* 2. *pag.* 174., & ex Vegio de Rebus ſacræ ipſius ædis *lib.* 1. *cap.* 4. facile cognoſcimus. Notatu hic dignum eſt, quod Vaticanus iſte Ritualis liber prius ad Sanctam Crucem, poſt ad Fontes acceſſum præſcribit, ſecus ac legimus in Romanis Ordinibus, Durando, & Ruperto Tuitienſi, apud quos prius ad Fontes,

C 2 tum

tum ad Crucem, aut aliud altare processio ordinatur. Sed præterquamquod Amalarius *cap.52.* de Ord.Antip. primo aram crucis, deinde Fontes designat, exploratum est, eam fuisse veteris basilicæ Vaticanæ, quoad altaria attinet, positionem, ut Clero ex altari principe ad baptisterium procedere volenti, prius transeundum esset ante prædictum Sanctæ Crucis Oratorium, quemadmodum edocet memorata Alpharani Tabula; & hinc peti ratio potest, cur in Vaticano Rituali processio ad Sanctam Crucem illi, quæ ad Fontes est, præponatur.

Tertia itaque statio ex eodem Responsoriali, & Antiphonario codice erat *ad Fontes*, quem locum satis illustrat Petrus Mallius; commemorans enim in sui opusculi *cap.6. Ecclesiam*, sive oratorium *S Joannis ad Fontes*, quod in Vaticanæ Basilicæ transversa navi ad Aquilonarem partem situm erat, ibi *sunt* inquit *Fontes, quos fieri fecit Beatus Damasus Papa*. Cum sacram illam ædem, tum Fontes ad spiritalis regenerationis usum Alpharanus in suæ Tabulæ *num.* 30., & 31. indigitat. Ac Pontificem Damasum aquas ex coemeterio, quod labefactabant, deflexisse, & ad construendum *Fontem, præbet qui dona salutis* corrivasse, pervetus, celebrisque lapis carmina inscripta præferens, & in Cryptis Vaticanis adhuc asservatus perspicue docet. Flavius vero Macrobius Longinianus, qui anno reparatæ salutis CCCXCIV. Urbi præfectus fuit, sacros baptismi Fontes erexisse,

xisse, aut nobilius ornasse, ex duplici epigrammate, altero apud Ant. Mariam Merendam collectorem opusculorum, & gestorum S. Damasi *pag.* 242., altero apud Muratorium Inscription. *tom.*4 *pag* 1904. comprobatur. Subsecutis autem temporibus cum S. Leo III. summum gereret Pontificatum, Vaticanæ basilicæ baptisterium vetustate ruinosum, & accedenti ad Sanctum lavacrum populo excipiendo impar, Antistes ipse prorsus innovari, amplitudine augeri, ac pluribus pretiosisque ornamentis insigniri curavit, ut ejus vitæ scriptor *num.* 65. edit. Vignol. testatur. Fortassis hoc ædificium a Basilica olim pro antiquo more discretum erat, posteaque cum ea est ab Hadriano IV. Pontifice, ut videtur conjunctum, quomodo in prælaudata Alpharani Tabula inspicitur. Meam hanc opinionem argumentis confirmavit, qui prædictum lapidem carminibus exaratum, & alia monumenta in Cryptis Vaticanis existentia non multos ante annos explicuit.

Denique cum ex nostri Codicis præscripto Sequentia, seu prosa, cujus initialia tantum verba indicantur, scilicet, *Mane prima sabbati*, in vespertinis illis precibus recitanda esset, & hæc jam antiquata sit; opportunum videtur eamdem hic subjicere prout extat in libellis expositionem sequentiarum complectentibus ad finem vergente xv. Ecclesiæ sæculo, & xvi. ineunte impressis, in quibus ita legitur.

„ Mane prima Sabbati resurgens Dei filius

 „ no-

„ nostra spes, & gloria, victo rege sceleris rediit „ ab inferis cum summa victoria.

„ Cujus resurrectio omni plena gaudio consolatur omnia, Resurgentis itaque Maria Magda- „ lene facta est prænuncia ferens Christi fratri- „ bus ejus morte tristibus expectata gaudia.

„ O beati oculi, quibus Regem seculi morte „ jam deposita, prima est intuita. Hæc est illa „ fæmina, cujus cuncta crimina ad Christi vesti- „ gia ejus lavit gratia.

„ Quæ dum plorat, & mens orat, facto „ clamat, quod cor amat Jesum super omnia. „ Non ignorat quem adorat, quid precetur, „ sed (1) deletur quod mens timet conscia.

„ O' Maria, Mater pia, stella maris appel- „ laris operum per merita. Mater Christi coæ- „ quata dum fuisti sic vocata, sed honore sub- „ dita.

„ Illa Mundi Imperatrix, ista beata pecca- „ trix, lætitiæ primordia fuderunt in Ecclesia. „ Illa enim fuit porta, per quam fuit lux (2) „ exorta; hæc Resurgentis prænuncia Mundum „ replet lætitia.

„ O Maria Magdalena, audi vota laude „ plena, apud Christum, chorum istum clemen- „ ter concilia, ut Fons summæ pietatis, qui te „ la-

(1) Vetustior editio habet *jam* loco *sed*. Apud Clicthoveum in *Elucidatorio Ecclesiastico* fol. 179. edit. Parif. 1540. legitur, *Nam*.

(2) *Per quam salus est ex orta*, alia editio legit. Apud Clicthoveum citatum habetur, *lux est orta*.

„ lavit a peccatis servos suos, atque tuos mun-
„ det data venia. Amen dicant omnia. „

Prosam hanc in Dominicæ Resurrectionis honorem cantari consuevisse, innuit liber anno MCCCCLXXXIX. typis editus inscriptusque *Textus sequentiarum cum commento*: quem Archigymnasii Romani bibliotheca in pluteo 2., notis 24. distinctum asservat, eamdem memoratus Clicthoveus prædicto Elucidatorio Ecclesiastico refert.

CAPUT V.

Idem ritus olim in aliis Occidentalibus Ecclesiis tum in Italia, tum extra ipsam celebris.

NON Romæ tantum, sed etiam alibi cum in Italia, tum extra ipsam, quem demonstravimus Vespertinum Paschalem ritum, quamquam paulisper diversum obtinuisse constat. Profecto sacræ hujus functionis ordinem enarrat *fol.254. & seq. edit. Venet. anno 1569.* vetus Rituale Romanum, quod inscribitur, *Sacerdotale secundum usum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, aliarumque Ecclesiarum*. Et quod ad Italicas Ecclesias attinet, nonnulla hic adducimus exempla. Bononiensibus typis anno 1766. a clariss. Abbate Joanne Chrysostomo Trombellio editus est adnotationibus illustratus, vindicatusque *Ordo Officiorum Ec-*

clesiæ Senensis, quem Odericus ejusdem Ecclesiæ canonicus anno MCCXIII. composuit. Hic siquidem Ordo *part.* I. *pag.* 200., & 201. Paschalium Vesperarum singularem describit ritum, ac formam fere similem illi, quam supra inspeximus: Nimirum Crucis venerationem & cultum indicit, Processionem ad Fontem Baptismalem pluribus explicat, easdemque vesperas ait trina Statione compleri. Hæ autem inchoantur a *Kyrie eleison* novies repetito. Tum prælaudatus Odericus ita subjungit: „ Cantor incipit antiph. *Angelus* „ *autem Domini*. Psal. *Dixit Dominus*. Antiph. *Erat* „ *autem*. Psal. *Confitebor*. Ant. *Præ timore*. Psal. „ *Beatus vir* Postea ℣. *Hæc dies quam*, canta- „ tur. Deinde Sequentia *Clara gaudia* (1). Quan- „ do sequentia cantatur, tunc altaria incensen- „ tur, & detur incensum Clero, & populo: „ qua cantata cantor incipit antiph. *Post passio-* „ *nem Domini* .... Et hæc antiphona ad Magnifi- „ cat cantatur, & cum Organo per totam Heb- „ domadam. Oratio *Deus, qui hodierna die*. „ *Per &c.* & statim cantor incipiat antiph. *Sur-* „ *rexit Christus*, quæ dicenda est ante Crucem, „ & cum organo semper. Postea ℣. *Dicite in* „ *nationibus*, *Alleluja* Oratio *Deus qui pro no-* „ *bis Filium tuum*. Mox cantor dicat antiph. „ *Crucifixum in carne*, & cum organo, & cum „ ea

(1) Hanc sequentiam siquis cupit percurrere, is consulat Dom. Georgium tom. 3. Liturg. Rom. Pont. pag. 493., ubi sequentia ipsa legitur in Card. Gentilis Antiphonario, quod idem Georgius evulgavit.

„ ea vadunt ad Fontes vexillo cum Cruce præ-
„ cedente. Cum autem pervenerint ad Fontes
„ dicitur antiph. *Pax vobis. Ego.* Psalm. *Laudate*
„ *pueri.* Psalm. *In exitu* ℣. Quoniam apud te est
„ fons vitæ. Oratio Paschalis dicatur pro re-
„ natis. „

Alterum exemplum Forojuliensis regio suppeditat, ubi, absolutis vesperis Paschalibus, servatum processionis ritum, ex Ordine & Processionario Mss. ob oculos ponit Clariss. Joannes Franc. Bernardus Maria de Rubeis *cap.* 24. *num.* 3. suæ Dissertationis *De vetustis liturgicis, aliisque sacris ritibus, qui vigebant olim in aliquibus Forojuliensis provinciæ Ecclesiis* inscriptæ, ac Venetiis anno MDCCLIV. editæ. In isto quidem Ordine exhibetur processus ad Sanctæ Crucis altare, ubi dicitur responsorium *Christus resurgens ex mortuis jam &c. Dicant nunc Judæi, semen nequam, filii scelerati: quomodo milites custodientes sepulchrum, in quo nondum quisquam positus fuerat, perdiderunt Regem & Dominum Dominantium ad lapidis positionem, erat quippe magnus valde. Quare non servabant petram justitiæ: Petra autem erat Christus. Aut sepultum reddant, quem sepultum resurgere posse non credebant, aut resurgentem adorent nobiscum dicentes: Quod enim vivit, vivit Deo &c.* Sequitur vers. *Dicite in nationibus*, cum Oratione, *Deus qui ad æternam &c.* Tunc processio progreditur ad Fontem cantando antiph. *In die Resurrectionis &c.* cum alia antiph.,

Vidi

Vidi aquam . Et dicitur Pſal. *Laudate pueri &c.* quo finito repetitur antiph. *Vidi aquam &c. Domine apud te eſt fons vitæ &c.* cum Oratione , *Deus qui diverſitatem* . Mox idem Ordo Forojulienſis alium indicit proceſſum ad cappellam S. Donati, ſeu ad ſepulchrum Chriſti : & cantari præſcribit antiph. *Venite , & videte locum &c.* Pſal. CXIII., orationem , *Præſta quæſumus* , ac peculiarem proſam , ſeu ſequentiam , quæ eſt hujuſmodi : *Submerſus jacet Pharao , lætentur filiæ Sion , cantent ſorores Aaron cum modulo , quia ſurrexit Dominus de tumulo .*

Submerſis perſequentibus , lætis canamus vocibus , & nunciemus fratribus cum modulo , quia ſurrexit Dominus de tumulo .

In Galilæam ibimus , ibi Jeſum videbimus , ibi læti cantabimus cum modulo , quia ſurrexit Dominus de tumulo . Feſtum quod hic eſt annuum , erit nobis continuum , Alleluja perpetuum cum modulo, quia ſurrexit Dominns de tumulo .

Veſpertinum denique Officium Paſchale abſolvitur cum antiph. *Regina Cœli lætare &c.*

Quoad Eccleſias vero extra Italiam poſitas, in iis ritum , quem hucuſque recenſuimus , uſitatum evincunt vetuſta Monumenta a Martenio tom. 3. de antiqu. Eccl. ritib. *lib.4. cap.25.* edit. Antuerpienſ. relata : Iſta enim exhibent Eccleſias , Pictavienſem , Sveſſionenſem , Turonenſem , Argentinam , apud quas ſacræ ejuſdem cæremoniæ obſervantia comparet . Ipſum quoque ritum in

in Ecclesia Andegavensi ex Jacobo Eveillon de processionibus Ecclesiasticis *cap* 16. ac 17., & in Laudunensi ex Antonio Bellotte de Rit. Eccl. Laudun. *cap*. 16. *observat*. 127. adhibitum ediscimus. Horum ritualium verba adferre abstineo, ne Lectoribus molestia ingeratur, designata enim superius exempla satis ostendunt processionem vespertinam paschalem non Romæ tantum, sed in aliis quoque Ecclesiis antiquitus usitatam fuisse.

CAPUT VI.

De Antiquitate ejusdem Ritus.

CHristophorus Battellus de ritu ablutionis altaris maioris Basilicæ Vaticanæ in die Cœnæ Domini *cap*. 9. *num*. 7. vetustissimam esse ait, ac, ut nonnulli opinantur, a primis usque Christianæ Religionis sæculis repetitam hujus Paschalis processionis consuetudinem, qua Augustissimus Dominicæ resurrectionis triumphus celebratur. Eorum equidem, quos hic scriptor in illo suo libro plurima admodum eruditione, nitidaque locutione composito, non distincte sed generatim indicat auctorum opinionem libens amplecterer, si eam validis suffultam argumentis cognoscerem. Etsi vero hunc ritum a primis Ecclesiæ seculis minime repetendum existimem, ac tempus, quo ille primum institutus fuit, exacte definire, ac statuere nesciam; ratum tamen,

ex-

exploratumque habeo, ſacræ eidem functioni plurimam ineſſe antiquitatem, quam metiri licet ex ætate Romani Ordinis, ubi paſchalium veſperarum peculiare officium, ut ſupra vidimus *cap.* 2., plene deſcribitur.

Quæ autem hujus libri ætas? Porro ſi ad Sanctorum Pontificum vel Gregorii Magni vel Gelaſii Primi tempora Ordo Romanus eſt referendus, fateatur quiſque oportet, librum hunc non eſſe ſincerum, ſed poſtquam ſupremi illi Antiſtites ex hac mortali vita ad cæleſtem patriam migrarunt, interpolatum, auctum ſcilicet additamentis nonnullis: quod & ipſe Mabillonius in admonitione ad I Romanum Ordinem agnoſcit, & admittit, exemplumque affert precationis *pro Carolo Rege* in eo Rituali libro ex veterrimo codice Monaſterii Sancti Galli indictæ. Nam feria IV. initio quadrageſimæ ſic ille codex habet: *Sabbato tempore Adriani inſtitutum eſt, ut flecteretur pro Carolo rege: antea vero non fuit conſuetudo*. Et feria IV. Sanctioris hebdomadæ ibidem legitur, a Pontifice *orationem pro Rege Francorum* dici. Hadrianus hujus nominis Primus, qui preces pro Carolo Magno Francorum rege inſtituiſſe narratur, Anno Chriſti DCCLXXII. Romanus Pontifex eſt conſecratus, patet igitur hac acceſſione interpolatum fuiſſe Ordinem Romanum, ſi ipſum temporibus vel S.Gelaſii I. ad Beatri Petri cathedram anno CCCCXCII. aſſumpti, vel S.Gregorii ad Chriſtianam Rempublicam gubernan-

nandam anno DXC. electi, conſcriptum reputemus. Aliud exemplum, quod etſi cum Gregorii Magni ævo conciliari poſſet, tamen Gelaſii ætatem excludit, ea ſuppeditant, ut mihi videtur, Ordinis ejuſdem loca, in quibus occurrunt *Defenſores regionarii* ad ſacra ſimul cum Pontifice convenientes, eidemque aſſiſtentes in Eccleſia. Hoc autem *regionario honore*, quo antea Defenſores carebant, ſeptem ex illis decorari, & in hac parte ſeptem ſubdiaconis regionariis, totidemque regionariis Notariis pares quodammodo fieri, S. Gregorius Magnus conſtituit; ut Joannes diaconus in hujus Sancti Pontificis vita *lib*. 2. *cap*. 20. tradit, ac evidenter liquet ex ejuſdem Gregorii *lib* 8. *epiſt*. 14. *nov. edit*. ad Bonifacium data, quam Baronius ad Chriſti annum DXCVIII. commemorat, & explicat, quamve, utpote Indictione I. ſignatam, ad eum annum alligat. Hoc anno (ſic animadvertit ſacer idem Annaliſta) Gregorius Defenſorum officium in Urbe auxit honore, ac dignitate, ut ſicut Notarii, & Subdiaconi, iidem Regionarii eſſent: qui enim Regionarii dignitate, & nomine augebantur, eiſdem patebat aditus, ut ad ſacra ſimul cum Pontifice convenirent, erantque omnes ſeptenario myſtico numero deſignati, ut ſicut diaconi Regionarii ſeptem, Notarii pariter Regionarii dicti, totidem; ſimiliter Subdiaconi, atque Defenſores totidem eſſent numero. Hi abſente Pontifice ſedebant cum Clero, præſente vero ſtabant. Sane Re-

Regionariorum munerum hujusmodi tantum erat privilegium, ut assisterent Pontifici in Ecclesia: cum alioqui præter septem Diaconos Regionarios, Notarios, Subdiaconos, & Defensores item Regionarios, alii complures in Urbe, & in omni Ecclesia fuerint Diaconi, Notarii, Subdiaconi, & Defensores. Ex his plane deducitur additamenta ista Ordini Romano adsuta fuisse, si ritualis hic Liber Pontifice Sancto Gelasio Primo compilatus credatur. Si vero ad Sancti Gregorii Magni tempus revocetur, in ea sex annorum intercapedine, quæ nimirum effluxit ab anno DXCVIII. quo prædicta Gregoriana epistola Bonifacio missa est, ad annum DCIV. quo anima ipsius Sancti Pontificis ad Superos evolavit, compositus judicari debet.

Satis tamen superque constat, ac omnino certum est, Ordinem Romanum sæculo Ecclesiæ octavo jam fuisse vulgatum, cum eum Amalarius in libris de Divinis, sive Ecclesiasticis Officiis, & de Ordine Antiphonarii, quos haud multo post initium seculi noni edidit, sæpissime alleget, ac pluribus, longisque commentariis exponat. Quin etiam ex eodem Ordine vespertinam Paschalem functionem exhibet. Caput enim 52. prædicti sui libri de Ordine Antiphonarii sic inscribit: *De glorioso Officio, quod fit circa vespertinales terminos in Paschali hebdomada in Romana Ecclesia*; ipsiusque capitis hoc facit initium: *Notum solemniter est, matrem nostram Romanam Ecclesiam*

tres

tres psalmos ante hymnum Evangelii (1), *& post hymnum duos per diversa altaria diversorum locorum, sæpissime tamen ad Crucem & ad Fontes, ut ex scriptis discimus, quæ continent per diversos libellos* ORDINEM ROMANUM. *Simili modo notum est; quod in fine psalmorum versum solemus dicere ante orationem, quam solemus facere genua flectendo, sive vultum declinando in terram.* Deinde explicat cur juxta Ecclesiæ Romanæ consuetudinem in diebus Paschalibus omittatur versus, & pro eo alius cantus constituatur. Et mox enarrat: *In ea statione in qua Apostolicus* (scilicet Romanus Pontifex) *celebrat vespertinale Officium,* Alleluja *canitur cum omni supplemento, & excellentia versuum, & sequentiarum. In cæteris Officiis diurnalibus pro versibus canitur responsorius,* Hæc dies. *In vespertinali post tres psalmos canitur unum* Alleluja *ante hymnum Sanctæ Mariæ; post quintum unum, quæ pertinent ad Crucem, & ad Fontes. In* ROMANO *enim* ORDINE *invenitur in ipsa die Resurrectionis Domini repetitus psalmus,* In exitu Israel: *Hoc enim fit propter multiplicia altaria illius loci, ubi illa die statio fit.* Ex luculentissimo hoc Amalarii Metensis diaconi testimonio evidenter quivis intelligit, Ordini Romano ætatem seculo octavo inferiorem adsignari non posse, atque peculiarem vespertinæ paschalis supplicationis cum processu ad Crucem, & ad Sacros Fontes ritum jam eo seculo viguisse. Sed

(1) Nempe ante Canticum Magnificat, ut supra adnotavimus.

Sed & ante id tempus morem hujusmodi fuisse inductum, verisimile admodum esse potest. Nam Sancti Gregorii Magni Sacramentarium ex codice Coloniensi a Jacobo Pamelio (1) editum in Dominica Resurrectionis sic habet. Ad S. Joannem (2), *ad vesperos*. *Oratio*, *Concede quæsumus &c.* (3).

Ad Fontes. *Oratio*, *Præsta quæsumus Omnipotens Deus, ut qui Resurrectionis Dominicæ solemnia colimus, ereptionis nostræ suscipere lætitiam mereamur*. *Per eundem &c.*

Ad S. Andream (4). *Oratio*, *Præsta quæsumus, Omnipotens Deus, ut qui gratiam Dominicæ Resurrectionis &c.* (5).

Hic Gregoriani Sacramentarii locus videtur, illos indicare ad sacrum baptisterium, & ad aliud, sive etiam alia Sacella, aut altaria processus, quos in Paschalium Vesperarum Officio celebrari solitos, ex priscis monumentis prolixe descripsimus. Me quidem non latet illud, quod typis pervulgatum ex diversis mss. codicibus a Pamelio, Angelo Rocca, ac Menardo habemus, Gregorii Magni Sacramentarium purum putum non esse, sed pluribus additamentis consper-

(1) Tom. 2. Liturg. Latin.

(2) Nempe, Prima Statio ad S. Joannem in Lateranis. ut explicatur in Orationale Venerab. Thomasii cura edito, pag. 16. col. 2. Romæ 1683.

(3) Ut supra in notis ad caput 3. pag. XXIII.

(4) Videsis cap. 2. pag. XVI., & seq.

(5) Ut supra cap. 3. pag. XXIII.

ſperſum, ut viri docti aſſeruerunt, quibus utroque pollice ſubſcribo. Attamen mihi nullum eſt ſatis certum, ac evidens argumentum, quo additamentis illis recitatum Sacramentarii locum accenſeri debere palam fiat. Atque aliunde in eo libro pleraque inſtituti vetuſtioris contineri, nemo inficias iverit. Quamobrem ritum, de quo agimus, quemve ſæculo octavo inferiorem non eſſe certiſſime demonſtravimus, ad Sancti Pontificis Gregorii Primi in ſacris Eccleſiæ Officiis maxime ſtudioſi ævum referre ſane probabiliter licet.

CAPUT VII.

Cauſa inſtituti ejuſdem priſci ritus explicatur.

QUI ad Eccleſiæ ritus explanandos applicuerunt animum, ii non unam omnes viam iniere. Claudius de Vert e rationibus naturalibus cuncta repetit, ac propterea apud æquos rerum exiſtimatores intemperantis critices vir audit. Alii contra in myſticis ſignificationibus toti ſunt, in ſacris ſcilicet cæremoniis nihil omnino videntes niſi myſteria, quæ tamen aliquando ſibi fingunt. Hujuſmodi eſt illud, quod Melchior Huleamus *lib. de Miſſæ cæremon.* excogitavit, nempe in ſolemni ſacrificio oblatis ſacerdotem ſexies thus adolere, *quia*

ante ſex dies Paſcha ivit Jeſus in Bethaniam (1): thuribulum vero circum calicem, & hoſtiam, ſcilicet bis a dextera ad ſiniſtram, & ſemel a læva ad dexteram cur idem Sacerdos ducat; hanc ipſe Huleamus rationem aſſignat: *quia* (Chriſtus) *rediit Jeruſalem ad ramos palmarum, & de Jeruſalem rediit in Bethaniam* (2): Quæ quidem Gavantus *minutiora* eſſe vidit, ſed non *contemnenda* putat. Verum enim vero hæc ejus cenſura tanti non eſt, ut liturgica eruditione præditi nequeant mox expoſitum Huleami rejicere commentum, quo nimirum is autumat prædictis Oblatorum thurificationibus ad illa Chriſti Domini geſta alludi. Modo certe opus eſt: ut cuncta naturalibus cauſis metiri, vitioſum, multaque ad eas referre licet; ſic alia ſunt myſticis explicanda interpretationibus, quas tamen vel ritus ipſi innuant, vel Eccleſiæ preces doceant, vel Sancti Patres, aut vetuſti, probatique Scriptores inſinuent.

Hac regula præſtituta, dubitandum non eſt, quin veteres in ſacra illa functione veſpertina, tum Domini Noſtri Jeſu Chriſti reſurrectionem, tum ex ejuſdem Redemptoris Divini meritis acceptam nuper in baptiſmate a Fidelibus regenerationis gratiam ob oculos potiſſimum habuerint, pioque animo recoluerint. Triumphum ſane reſurrectionis Chriſti celebrant, & ſa-

(1) Joann. cap. 12. v. 1.
(2) Matt. cap. 12. v. 17.

& facillime demonſtrant verba, atque ſententiæ, antiphonæ ſcilicet ac reſponſoria, quæ in veſperarum paſchalium officio ex priſcis monumentis ſuperius exhibito continentur. Singula percurrere longum eſſet, atque inutile; cum res cuique officium illud legenti pateat. Quoad nuper baptizatos audire præſtat Rupertum Abbatem Tuitienſem, quo judice in *lib.* 8. *de Divinis Officiis cap.*2., peculiaris, neque aliàs uſitati paſchalium veſpertinarum precum Ordinis cauſa eſt *ſolemnitas ſancti baptiſterii*: quia enim, ut vetus auctor iſte proſequitur, veſpere Sabbati Paſchalis baptiſma celebratum eſt, eadem hora in Reſurrectionis Dominica, & ſequentibus hebdomadæ diebus *feſtivam regenerationis jucunditatem retinet*. Huc ſane acciri debet qui annos circiter trecentos ante Rupertum floruit Amalarius, dum Paſchalis ſolemnitatis dies octo *lib.*1. *de Eccleſ. Offic. cap.*33. jure appellat *Neophytorum dies*. Eo enim octiduo illos tanquam Infantes ſpiritaliter mox genitos Eccleſia potiſſimum curabat: nempe ad ſacram ſynaxim accerſebat, in publicis precibus, quæ etiamnum adhibentur, orans ut *renatis fonte baptiſmatis una ſit fides mentium, & pietas actionum*; ac inter ſacrificandum ſignanter pro ipſis ita Deum obſecrans: *Hanc oblationem ſervitutis noſtræ, ... quam tibi offerimus pro his quoque, quos regenerare dignatus es ex aqua, & Spiritu Sancto, tribuens eis remiſſionem omnium peccatorum,*

 rum,

rum, quæsumus Domine, ut placatus accipias &c. Neque hic stetit piæ Matris Ecclesiæ erga novam prolem sollicitudo; nam ejus opera, ac studio, qui per sacram ablutionem eruti de potestate tenebrarum, translatique in Dei lumen, & regnum fuerant, pluries ad mysticos Fontes redibant, ut ibi exultantes in Domino, beneficium adeo magnum pio, constanti, gratoque animo contemplarentur. Circa baptisterium, in quo culpas necarunt, illi Divinum Numen laudibus celebrabant sumentes exemplum, ait Durandus *in Ration. lib. 6. cap. 89. num.* 10., populi Israelitici, qui Pharaone, & Ægyptiis submersis in mari rubro, cujus transitus fuit Sacramenti baptismatis figura, carmen illud Moysis, *Cantemus Domino*, ad litus in gratiarum actionem cecinerunt.

Cur autem stationi ad Fontes alia, quæ ad Crucem est, fere adjungatur, rationem ex Apostolo ad *Rom. cap. 6. v. 3., & seq.* facile repeti posse arbitror: sic enim ibi Paulus inquit: *An ignoratis quia quicumque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte* (Græce εἰς τὸν θάνατον in mortem) *ipsius baptizati sumus. Consepulti enim* (οὖν igitur) *sumus cum illo per baptismum in mortem; ut quomodo Christus resurrexit a mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus: Si enim complantati* (σύμφυτοι insititii) *facti sumus similitudini mortis ejus, simul & resurrectionis erimus.* Hoc loco baptismum

mum, Christi Domini passionem supplicio crucis consummatam, ejusque resurrectionem copulat Apostolus, cujus verborum, juxta Sanctorum Patrum intellectum, is profecto sensus est, nos per baptisma Christo commori, & sepeliri, scilicet nostra in Sancti lavacri aquas immersione Christi mortem, & sepulturam, ejus vero resurrectionem nostra ex aquis illis eductione repræsentari; quod nimirum ut Christus mortem nostram moriendo destruxit, & vitam resurgendo reparavit; ita nos per baptismum peccato morimur, & ad novam vitam insititii Christo facti resurgimus, ad instar surculi alteri plantæ insiti, ut metaphoræ, qua Paulus uti videtur, insistam: ramusculus enim arbori insitus, arbore per hyemem quasi moriente, illi commoritur, in vere autem rursus arbore quasi resurgente, simul cum ipsa resurgit. His accedit alia ratio, quam affert Durandus loco paulo ante citato, ubi ait, stationem fieri ad Crucifixum, reddique ei gratias, *quia ipse est, qui baptizat*: (ut legimus Joann. *cap* I. *v.*33.) .... *quia per Crucem, & in Cruce nacti sumus animarum nostrarum redemtionem*. Et quidem nemo, qui Catholicæ Fidei rudimentis imbutus sit, ignorare potest, cuncta, quæ per baptismum nos a Deo obtinemus commoda, & munera; omnibus nimirum peccatis & criminibus, eorumque pœna solvi, justos & filios Dei adoptivos effici, atque æternæ salutis hæredes

 in-

inſtitui, Divina gratia & nobiliſſimo virtutum comitatu donari, & Chriſto capiti ſic tanquam membra connecti, ut ex eo in myſtici corporis partes vis ſpiritalis manet, quæ nos ad Chriſtianæ pietatis officia habiles reddit; cuncta hæc, inquam, nemo qui catholica doctrina ſit inſtitutus ignorare poteſt, ex virtute Paſſionis Chriſti in Crucis Ara conſummatæ, per baptiſmum ad nos derivari. Etſi enim omnibus Sacramentis hoc commune eſt, ut per illa pretium ac virtus paſſionis Redemptoris noſtri communicetur, id tamen baptiſmo ſpecialiter convenit, quoniam in eo non ſolum peccata remittuntur, ſed peccatorum etiam & ſcelerum pœnæ a Deo benigne condonantur, ut Romani Catechiſmi Auctores ex Eccleſiæ traditione explicant, quorum illa quoque animadverſio eſt, de ſolo baptiſmate Paulum dixiſſe, quemadmodum ſupra vidimus, per illud nos Chriſto commori ac ſepeliri. Ipſe inſuper Apoſtolus ad Epheſios *cap.5. v.25.* ita ſcribit: *Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſeipſum tradidit pro ea, ut illam ſanctificaret lavacro aquæ in verbo vitæ, ut exhiberet ipſe ſibi glorioſam &c.* Quæ quidem ſententia ut Chriſtum paſſioni ultro deditum refert ad Eccleſiæ ſanctificationem per ſacrum baptiſma, ſic ea quæ præfati ſumus, opportune confirmat. Denique ex veteri inſtituto etiam num obtinet, inter Divinas preces Paſchali tempore ſpecialem de ſancta Cruce memoriam haberi:

crux

crux enim, ut Cyrilli Alexandrini in Julianum Apoſtatam diſputantis verbis utar, in virtutis omnis recordationem nos reducit; & per crucem a Chriſto deletum eſt noſtræ damnationis chirographum, crucique affixum.

Nec mirum eſſe debet tantam erga Neophytos curam fuiſſe adhibitam ab Eccleſia, quæ pari ſtudio eos curabat, qui erant ad ſacrum regenerationis lavacrum acceſſuri. Iſtorum varios gradus, ſive ordines, audientium ſcilicet, orantium, competentium, & electorum, non ignorat qui in veteri diſciplina vel parum ſit verſatus. Sacros ritus callentem profecto non latent plura de baptizandis ſcrutinia tempore quadrageſimæ fieri ſolita, quorum celeberrimum feria IV. hebdomadæ IV. quadrageſimalis peragebatur, idcirco *Feria* Scrutinii per antonomaſiam nuncupata, & hac die peculiaris Miſſa pro catechumenis myſteria Baptiſmi deſignans celebrabatur, quæ vel hodie in uſu eſt. Integra, exactaque ſeptem ſcrutiniorum diſciplina luculentiſſime deſcribitur in VII. Ordine Romano apud Mabillonium, & in S. Romanæ Eccleſiæ Sacramentario (quod Ven. Card. Thomaſius evulgavit, & Gelaſianum cenſet) *lib.* I. *num.* 26., *& ſeq.*, ſed præcipue 29. *ac ſeqq.*, itemque *num.* 42. Qui in baptizandis adhibebantur ſacri myſticique ritus, & ex antiquiſſima traditione vel hodie uſurpantur, erant, ac revera ſunt, apparatus, quo ſanctum regenerationis lavacrum

digne susciperetur. Huic sane apparatui succedebat Sacramenti baptismatis administratio, quam pro renatis Sacro Fonte non solum Res Divina solemniter per octo dies acta, sed etiam Officium Vespertinum copiose a nobis enarratum sequebatur. En itaque germana processionis in Paschalibus vesperis instituta causa, quam etsi aliquo modo novit, non tamen distincte, ac simpliciter deprehendit Joannes Baptista Casalius dum in libro de veteribus Christianorum ritibus *cap.* 40. ita sensit: „ Ex mystica Evan-
„ gelii auctoritate, ubi, ut apud Matthæum,
„ & Marcum legimus, mulieres jubentur ad
„ Christi discipulos accedere, eisque nunciare
„ quod eundem Redemtorem e tumulo suscita-
„ tum essent in Galilæa visuri, solemnis pro-
„ cessio in die Paschatis celebratur, & lustrali
„ aqua nos, & loca nostra aspergimus in ho-
„ norem illius diei, quo Christus præcepit nos
„ baptizari in nomine Patris, & Filii, & Spi-
„ ritus Sancti „. Ista Casalius excripsit ex *cap.*21. *lib.*7. operis Divinorum Officiorum a Ruperto Tuitiensi abbate concinnati: sed eo in loco, uti etiam in præcedenti *capite* 20., de processione sermo est, quæ cum aqua lustrali cunctis per annum dominicis agitur. Ideo suspicor, Casalium virum eruditissimum loco citato loqui de processu non vespertino, sed de eo, qui mane die sancto Paschatis fiebat: verumtamen hic ad pias mulieres Evangelicas referebatur;

ille

ille vero ad eos, qui sacris undis nuper tincti fuerant, procul dubio spectabat, ut facile ex dictis in praesenti capite intelligimus.

CAPUT VIII.

Alicubi variationem subit idem ritus, & alibi cessat omnino.

MUtationi subijciuntur res humanae: & vel ipsa Ecclesiae disciplina variationi obnoxia est, immo plura ad eandem disciplinam spectantia interciderunt. Id sane edocet materies etiam, de qua hic agitur. Mihi non est animus, nec operae pretium videtur singulas, quas temporis progressu pervetus Ritus noster subiit, variationes recensere; nonnullas tantum indicandas arbitror. Illud nunc memineris, lector, quod ex Romanis Ordinibus, atque ex Vaticanae Basilicae Responsoriale, & Antiphonario cum Rituali Ecclesiae Senensis, supra animadvertimus adeo peculiarem antiquitus fuisse precum vespertinarum Paschalium formam, ut ipsa vespertina deprecatio non a versu, *Deus in adjutorium meum intende*, sed a *Kyrie eleison* inchoaretur. Ea insuper monumenta vetera illud perspicue innuunt, quod ex quinque psalmis vesperarum dominicalium propriis tres tantum primi ante canticum *Magnificat*, & orationem, seu collectam recitarentur, reliqui autem duo, ni-

nimirum *Laudate pueri*, &, *In exitu Israel*, ad sacros Fontes, & ad sanctam Crucem, seu aliud altare canebantur: idque apertissimis etiam Amalarii *cap.* 52. *Ord. antiph.* verbis comprobatur. Sed a primævo hoc ritu postea descitum fuisse ostendunt Ecclesiarum Suessionensis, & Pictaviensis Rituales libri, qui, ut videre est apud Martenium de *antiq. Eccl. rit. tom.*3. *lib.*4. *cap.*25. *edit. Antuerp.*, a versu *Deus in adjutorium meum intende*, non a *Kyrie eleison* vesperas incipi; atque consuetos quinque psalmos vespertinos diei Dominicæ recitari ante canticum *Magnificat*, & collectam, ac ante processiones, perspicue jubent. Idipsum deduci potest ex prælaudato Forojuliensi Rituali, ex citato Sacerdotali Romano, quod P. Albertus Castellanus Ecclesiæ sæculo XV. exeunte vel ineunte XVI. compilavit, & ex Rituali item Romano, quod Julius Sanctorius Card. Sanctæ Severinæ nuncupatus, adhibitis viris maxime præstantibus composuit jussu Gregorii Papæ XIII., ac postea typis editum. Insuper antiquissimus Vesperarum paschalium ritus procedendi ad Crucem, & ad Sacros fontes, usque ad Sabbatum in Albis usitatus, postmodum in sola Dominica Resurrectionis Christi servatus alicubi est. En jam pristini moris deformata aliquantum facies, en prima varietas, quam deinde alia subsequuta est, eaque tanta, ut in eo quod inpræsentiarum superest antiqui ritus & instituti, vestigium solummodo inspicia-

ciatur: idque Vaticanæ Basilicæ mos recentior palam facit, quemadmodum infra explicabitur.

Cœterum antiquissima vespertinalis disciplina Paschalis hodie in pluribus Ecclesiis omnino cessavit, ac ita obsolevit, ut nullæ ejus reliquiæ appareant. Sat est unum & alterum exemplum proferre. In Ecclesia Senensi ritum hunc olim observatum vidimus supra *cap.5.* ubi irrefragabile adduximus testimonium Ordinis Officiorum ejusdem Ecclesiæ Senensis ab Oderico Canonico jampridem lucubrati. At modo in illa ipsa Ecclesia nil prorsus remanet pervetustæ processionis vespertinæ paschalis, ut me certiorem fecit Clar. patricius Fabius de Vecchis ejusdem Ecclesiæ Canonicus, & Vicarius Generalis perquam solida tum pietate, tum doctrina admodum instructus. Rursus processuum vespertinorum Paschalium, quos in Lateranensi Primaria Basilica *cap.2.* supra legimus maxima solemnitate celebratos, nullum ibi inpræsentiarum extat vestigium. Vigebat sane pervetus ritus quo tempore Card. Cencius de Sabellis electus deinde anno Christi MCCXVI. Summus Pontifex Honorius III. appellatus, Romanum Ordinem litteris mandabat: In hoc siquidem de Antistite Maximo vespertinum Dominicæ Resurrectionis officium obeunte, sic *num.35.* loquitur. „ Descendit in Ecclesiam Lateranensem ad „ vesperas, sicut continetur in Antiphonario.

„ Ce-

„ Celebratis tribus vesperis in Basilica Salvato-
„ ris, & ad Fontes, atque ad Sanctam Crucem,
„ revertitur ad porticum Sancti Venantii: ibi-
„ que sedet cum Episcopis, Cardinalibus, cæ-
„ terisque Ordinibus &c. „ At de Sacra functione ad Fontes, & ad Crucem altum silentium est in posterioribus Romanis Ordinibus, sive illum consulas, quem Mabillonius edidit tanquam a Card. Jacobo Cajetano, Bonifacii Papæ Octavi nepote, conscriptum, potius tamen auctori alii quoad ætatem inferiori adtribuendum, ut Joannes Baptista Gatticus in præfatione ad Cæremonialem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ librum, ex Bibliothecæ Vaticanæ vetusto Codice sign. *num.* 4737. non immerito sentit; sive alium Ordinem Romanum evolvas a Petro Amelio Episcopo Senogalliense, anno Christi MCDIV., aut paulo ante defuncto, concinnatum; sive eum verses cæremonialem librum ab Augustino Patritio Piccolomineo compilatum, seu alios cæremoniales codices a prædicto Gattico typis evulgatos. Isti autem seculum Ecclesiæ decimumquartum, juxta ipsius Gattici opinionem, ætate cum non præcedant, inferre hinc licet, eo seculo jam desiisse pervetustum morem, quo Summi Pontifices cum Romanæ Curiæ Ordinibus cunctis antea solebant, ut supra vidimus, Paschales vespertinas supplicationes solemniter habere. Has fortasse per id tempus in Lateranensi basilica omnino desuevisse, conjici

po-

poteſt: Certe nulla peculiaris veſpertina paſchalis proceſſio apud ejuſdem præſtantiſſimæ Ecclæſiæ perinſignem Clerum in præſenti celebratur.

CAPUT IX.

Cauſæ referuntur, ob quas vetuſtiſſimus Ritus ceſſaverit.

ABS re quidem non eſt occaſiones, & cauſas ſcrutari, ob quas Romanus, de quo egimus, ritus a multis adoptatus Eccleſiis, decurſu temporis in earum pleriſque aut in parte, aut omnino obſoleverit. Plures eſſe opinor eſſe cauſas. Ac primo neutiquam plane dubitandum eſt, quin crebræ Summorum Pontificum ab Urbe Roma in alia loca ſeceſſiones, ac illa potiſſimum, quæ poſtea contigit, Avenionenſis ad LXX. amplius annos protenſa, effecerint, ut plures pervetuſti Romanæ Eccleſiæ ritus vel variati fuerint, vel penitus in deſuetudinem abierint: quod ſcite, ac dolenter explicat eruditiſſimus Petrus Morettus Sanctæ Mariæ Tranſtyberim Canonicus *num.* 13. *& ſeqq. ſect.* 9. *part.* 2. ſuæ Lucubrationis *de Presbyterio*.

Sed & aliis, ut mihi videtur cauſis adtribui poteſt, quod vetuſtiſſimus, de quo in præmiſſis capitibus locuti ſumus, Ritus in cunctis fere Eccleſiis, aut ſaltem pleriſque obſoleverit:

& ſi

& si in Vaticana Basilica etiamnum obtinet processus paschalis vespertinus, hic antiquissimæ functionis nonnisi vestigium est, & formam induit aliam plane ab ea, qua olim celebrabatur. Rationem sane opinor statuendam in remissione ejus disciplinæ compluribus vetustis Christi seculis passim in Ecclesia saltem Latina usitatæ, quæ nimirum jubebat, Baptismi sacramentum in paschate dumtaxat, & pentecoste conferri, nisi mortis urgeret periculum. Quamquam enim disciplina ista luculentis Tertulliani lib. de baptismo *cap.* 19. aliorumque testimoniis commendetur, a Summis Pontificibus Siricio, Innocentio I. & Leone Magno acriter defensa fuerit, & ab aliis Romanis Pontificibus Gelasio I. & Gregorio II. (1) confirmata; processu tamen temporis relaxata est. Ac primo quidem ipsa aliquantum remisit, quoad parvulos nulla ægritudine affectos. Nam Rothomagense concilium anno Domini 1072. coactum, prædictæ legis observantiam sane præcipit circa adultos, at parvulos illos ad eam non adigit. En Canonis verba: „ Juxta Sanctorum „ Patrum decreta, scilicet Innocentii Papæ, & „ Leonis, statuimus, ne generale Baptisma nisi „ Sabbato Paschæ, & Pentecostes fiat: Hoc „ quidem servato, quod parvulis, quocumque „ tempore, quocumque die petierint regene-

„ ra-

(1) In epistola *Clero*, *& plebi* inscripta, apud Baronium anno 723.

„ rationis lavacrum non negetur. Vigilià vel „ die Epiphaniæ ut nullus, nisi infirmitatis ne„ cessitate baptizetur, omnino interdicimus. „

Et quidem Teophylactus, qui XI. Ecclesiæ seculo ad exitum inclinante Archiepiscopus Bulgariæ floruit, in suo ad Lucæ *caput* X. commentario Baptismum quotidie administrari innuit Unde Martenius *lib.*I. *de antiquis Ecclesiæ ritibus art.*I. *cap.*I. *num.*15. deducit, constitutum a priscis Patribus baptismi conferendi tempus abrogari cœpisse eo exeunte seculo; quamquam alicubi diutius perstiterit, ut ex iis patet, quæ Conradus Liecthenaw Abbas Urspergensis ad annum MCXXIV. enarrat.Hoc enim ejus ætatis chronographo teste ediscimus, quod S Otto Episcopus Bambergensis, postquam Christi Evangelio Pomeranos subjugavit, sacroque baptismate abluit, præter alia Sanctorum Patrum instituta istud quoque servare docuit, nempe, ut *infantes suos in sabbato sancto Pasche, & Pentecostes cum candelis, & cappa, quæ dicitur vestis candida, & patrinis comitantibus ad baptismum deferant, eosque veste innocentiæ indutos per singulos dies usque in octavum diem ejusdem sabbati ad ecclesiam deferant, & celebrationi divini Officii interesse satagant*.

Quo tempore floruit S. Thomas, seculo nimirum XIII., morale periculum mortis ob oculos habebatur in cunctis omnino parvulis, sive male sive bene habentibus, queis *non est diffe-*

differendum baptisma, inquit ipse Sanctus Aquinas Doctor *Summ.Theolog.* III. *part. quaest.68.art.3.*, hanc tamen dilationem adultis bene valentibus necessariam esse adfirmans cum ob alias rationes, tum ob *reverentiam Sacramenti, dum in solemnitatibus praecipuis, scilicet paschae & pentecostes homines ad baptismum admittuntur*. Rupertus abbas Tuitiensis XII. aerae Christianae seculo clarus *lib.4. de Div. Offic. cap.18.* vitae amittendae in infantibus speciale periculum veluti caussam non differendi eis communiter baptismum, jam animadverterat, licet haec ratio antistites Concilii tum Londinensis an. MCCXXXVII. tum Wirgoniensis an. MCCXL. minime permovit ad baptizandos statim infantes, quos nisi mortis immineret periculum, sacro Fonte in Sabbatis Paschae, & Pentecostes ablui statuerunt. Illud tandem notatu dignum est, quod de parvulis, ut illi tantummodo, qui *per octo dies ante Pascha, & per dies totidem ante Pentecosten de matrum uteris nati, si absque periculo reservari valeant*, reserventur ad illa festa *baptizandi*, decrevit concilium Redingense in Anglia anno MCCLXXIX. congregatum; ac de parvulis, qui alio tempore nascuntur, sic prosequitur: *Juxta vetustam consuetudinem, vel in continenti cum fuerint nati, vel postea, prout placuerit suis parentibus, baptizentur*. At praeconceptum morale in infantibus discrimen mortis adeo insequutis temporibus perpensum, & grave aestimatum est,

eſt , ut ex ritualibus poſterioris ævi libris intelligamus, baptiſmum pueris non eſſe differendum. Et quidem Sacerdotale Romanum *part.1. tract.1. cap.7.* poſtquam congruum baptiſmatis adminiſtrandi tempus deſignavit Sabbatum Sanctum Paſchæ, & vigiliam Pentecoſtes, mox ita ſubjungit: *Sed hoc in pueris propter periculum non ſervatur*; *ſecundum Gloſs. in cap. Venerabilis*. Rituale autem Romanum juſſu Pauli V. Summi Pontificis editum præſcribit, Parochum hortari eos, ad quos ea cura pertinet, ut natos infantes baptizandos *quamprimum fieri poterit*, deferant ad Eccleſiam, ne illis ſacramentum tantopere neceſſarium nimium differatur cum periculo ſalutis. Hæc de veteri, & nova diſciplina circa tempus baptiſmi parvulis adminiſtrandi.

De adultis nunc breviter dicendum. Vetuſtioribus ſeculis multi ſane erant, qui Chriſtianæ militiæ nomen dabant, ac proinde ſacro regenerationis lavacro emundabantur. De magno Ethnicorum numero ad Eccleſiam accedentium S. Auguſtinus *num.* 22. enarrationis in pſalmum 134. ſic teſtatur: „ Quanti fundi, quanta loca deſerta modo veniunt? Veniunt inde neſcio quanti, credere volunt, dicimus eis, quid vultis? Reſpondent, Noſſe gloriam Dei... Veniunt ſubito de ſilva, de deſerto, de remotiſſimis & arduis montibus ad Eccleſiam... Credunt, conſecrantur, clericos ſibi ordinari exigunt. „ Deinde & aliæ Gentes, quæ in te-

tenebris, & umbra mortis sedebant ad Jesum Christum conversæ, baptismi sacramento initiatæ sunt. Certissima id genus exempla ab Historia Ecclesiastica suppeditantur, ex quibus ea, quæ magis nota sunt, tantummodo reminiscamur. Clodoveus I. Francorum Rex a S. Remigio Episcopo Remensi baptizatus fuit, & *de ipsius regis exercitu baptizati sunt amplius quam tria millia*, inquit Gregorius Turonensis de *gest. Franc. lib.* 2. *cap.* 31. Fredegarius autem in epitome *cap.* 21. ait, *sex millia*, quod Hincmarus in Remigii vita sic conciliat; *baptizantur de exercitu ejus tria millia virorum, exceptis parvulis, & mulieribus*. Anglorum Gens, S. Gregorio Magno curante, per monachos S. Augustinum, & socios mysteriis Christianæ religionis imbuta est, atque Anglorum decem millia, ut prælaudatus Gregorius Pont. Max. *lib.* 7 *epist.* 30. *Vet. edit.* ad S. Eulogium Alexandrinum Episcopum data, enarrat, sacris undis tincta sunt cum eorum rege Edilbertho, qui Cantio dominabatur, primo ex septem regnis, in quæ tunc Britannia, seu Anglia divisa erat. Seculo VIII. Sanctus Bonifacius in Germania complures Frisiorum, Cattorumque millia ex idolorum cultu ad Christi Fidem convertit, & sancto baptismate purgavit. Credere profecto fas est, imo debemus, Ethnicis Evangelicam Fidem amplexatis baptismum juxta vetustissimam cum Romanæ Ecclesiæ, tum aliarum fere omnium Eccle-

sia-

ſiarum Occidentalium diſciplinam in Sabbato vel Paſchæ, vel Pentecoſtes adminiſtratum fuiſſe. At Epiſcopi rationabilibus cauſis permoti ſacram iſtam functionem aut anticipandam, aut ad aliud tempus differendam aliquando exiſtimaverunt. Et ſane Francorum Regem Clodoveum a S. Remigio baptizatum fuiſſe non in Paſchali Sabbato, ſed in ſolemnitate Natalis Domini Noſtri Jeſu Chriſti, ex Aviti Epiſcopi Viennenſis epiſtola ad eumdem Clodoveum ſcripta Pagius ad annum CDXCIX. *num.* 9. oſtendit: Et ea decem millia Anglorum, quæ paulo ante memoravimus, ſacræ regenerationis lavacrum, *in ſolemnitate Dominicæ Nativitatis accepiſſe*, prædicta S. Gregorii epiſtola ad Eulogium, perſpicue tradit. Sed & illud ad rem noſtram præſertim obſervandum, quod inſequutis ſeculis poſtquam Fidelium numero Chriſtiana Religio maxime amplificata fuit, in Eccleſiis bene conſtitutis rari inveniebantur ethnici idolorum cultores, aut Mahumetani, iidemque rariores, qui ad amplectendam Evangelii Fidem accedebant, quod de Judæis in omni fere Orbis parte diſperſis eo magis verum eſt, quo major eſt eorum perfidia, & in Chriſtum Jeſum majori odio ſunt perciti. Raro itaque ætate adultis baptiſma conferebatur per illud tempus in prædictis Eccleſiis. Immo etſi Canones & Rituales libri ad eoſdem adultos ſacris luſtralibus aquis abluendos, niſi mortis periculum immineat, Sabbatum Paſchæ

 & vi-

& vigiliam Pentecostes designaverint, nihilominus anno MDXX. cum ethnicus vir prænobilis Afer, qui carcere detinebatur Romæ in mole Hadriana sacro Fonte initiandus foret; *reservavimus*, ait Paris de Grassis apud Raynaldum eo anno *num.* 91. *in hac die Epiphaniæ baptismum, ut si Papa vellet ipsemet facere, faciat. prout fecit ea ipsa die Epiphaniæ.*

Sed Ordo Divini Officii in Cathedrali Ecclesia Papali Lateranensi peragendi, inter Sabbati Sancti functiones sacras enunciat Baptismi, & Confirmationis Sacramenta Infidelibus administranda, & reapse hujusmodi ministratio fere eo die fit; ac si aliquando omittitur, id contingit, quia præsto nullus est vel adultus catechumenus, vel infans sacris undis tingendus. Quamobrem multum laudanda est Basilica Lateranensis ritum hactenus custodiens vetustissimum, qui etsi modo in aliis Urbis Ecclesiis Patriarchalibus ac Titularibus minime, quod sciam, servetur; olim tamen in eis sacris ædibus procul dubio obtinebat, & ex Romanis Ordinibus, Benedicti *num.* 43. *&* 45. ac Cencii Camerarii *num* 30. *&* 33. non obscure deducitur. Jam vero ea, quæ in Romana Ecclesia antiquitus retinebatur, infantes nimirum, & adultos in Sabbatis Paschæ, & Pentecostes baptizandi disciplina progressu sane temporis pene prorsus obsoleta; mirum videri non debet si in desuetudinem abierit pervetus vespertina Paschalis proces-

cef-

cessio, quæ plurimum, ut cap. VII. supra exposuimus ad neophytos pertinebat, ac referebatur: & hanc fortassis rationem perantiqua supplicatio e sacrarum processionum censu, Pont. Paulo V. ut mox observabimus, deleta fuit.

Aliam denique causam, cur sacer iste processus, qui in aliquibus Ecclesiis ante Ritualis Romani editionem jubente Pont. Paulo V. evulgatam obtinebat, hoc promulgato libro, ab illis est omnino derelictus, excogitare licet, atque ex eo repetere, quod in ipso Rituali Romano multæ quidem sacræ processiones describuntur, altum vero silentium habetur de nostro Paschali processu vespertino, quem tamen Sacerdotale Romanum, ac Rituale Cardinalis Sanctæ Severinæ disertissime exhibuerant, ac designaverant.

CAPUT X.

Quæ apud Vaticanæ Basilicæ Clerum nunc habetur Processio Vespertina Paschalis, vetustissimi Ritus hactenus descripti umbra est, ac vestigium; & pars superstes.

LEctorem hic oportet suam in memoriam redigere ea præsertim, quæ hujus opusculi caput III. exhibet, & in capite IV. expli-

cantur. Ibi enim egregium feculi XII. affertur monumentum, Refponforiale fcilicet, & Antiphonarium ad ufum Canonicorum Vaticanæ Bafilicæ, ex quo luculenter conftat, ab iifdem in Dominica Pafchali Refurrectionis Jefu Chrifti folemniter vefperas cum proceffionibus ad altare beati Petri, ad Sanctam Crucem, & ad Sacrum baptifterium fuiffe celebratas. Sed poftea hoc pervetus inftitutum apud ipfam Vaticanam S. Petri bafilicam ufque adeo variatum eft, ut perantiquæ illius difciplinæ nonnifi veftigium, & umbra fit, qui nunc a Vaticano Clero habetur proceffus vefpertinus Pafchalis.

Quo autem tempore immutatio hujus vetufti Ritus apud eundem Clerum contigerit, certo definire non aufim: crediderim tamen id tunc factum effe, cum jam remiffa fuit vetuftiffima baptifmi in Sabbatis Pafchæ, & Pentecoftes generaliter conferendi difciplina, ut proximo cap. IX. vidimus.

Illud certe exploratum, in Vaticana bafilica ætate quoque pofteriori proceffionem folemnem in Pafchate Refurrectionis fieri confueviffe. Aliqui enim Cenfuales libri veteres, in tabulario capitulari Vaticano adfervati, denarios notant in facra illa functione expenfos. In Demetrii de Guafellis, qui Pontifice Sixto IV. inter Beneficiatos Vaticanæ Bafilicæ adnumerabatur, MS. codice *fign. lit. A. fol. 84.* fic legimus:

mus: *Pro tribus, qui portaverunt* umbellam (1), *Sonichium* (2) *& Crucem in processione Paschæ Resurrectionis, bol* (3) *decem. Datum Romæ in domo nostræ residentiæ die* 18. *Maii* 1489. Similiter Ms. Censuale anni MCDXC. pag 41. in hunc modum habet: *In festo Paschæ Resurrectionis, pro tribus qui portaverunt umbellam, sonichium & Crucem in processione in die Paschæ, bol* v. Perinde est quod alterum Ms. Censuale anni MDII *pag* 82. enunciat, scilicet: *Pro delatura & labore sinnichi, Crucis, & Campanellæ* (4) *portatis in processione die Paschatis, bol*.v.

(1) Ni fallor, Umbella hic designat papilionem tentorii genus, vulgo *Padiglione*, ad Clericos à pluvia, & ab æstu, cum in supplicationibus iter faciebant, tuendos primitus institutum.

(2) Novo *Sonichii* vocabulo notari, ac intelligi hic videtur *Campanula*, seu tintinnabulum portatile veluti turri infixum, & jugiter, Clero procedente, pulsari consuetum, ac propterea a sono, quem edebat, *Sonichium* verisimiliter appellatum.

(3) Nimirum *bolendinos*, haud magni pretii monetæ genus in chartis infimi ævi sæpenumero commemoratum. Prædictus Demetrius pag. 86. hæc litteris mandavit: *Die* 21. *Julii dedi Domino Petro socio de Cora pro solvendo his, qui cantant Missam, & festo faciendo in ecclesia nostra S. Mariæ Magdalenæ* (nunc S. Lazari nuncupata, extra portam Angelicam) *florenum unum rennen. qui sunt bol.* 67.$\frac{1}{2}$ *de carlenis*.

(4) Hoc in loco, ut reor, *Campanella* tintinnabulum paulo ante dictum significat; Papilio autem indicatur nomine *Sinnichii* alias *Xinichii*, ut legitur in Relatione Translationis Corporis S. Gregorii Nazianzeni e templo monialium Campi Martii ad Vaticanam Basilicam anno Dom. 1580. peractæ, ac in Clementis Papæ VIII. literis a Clar. Petro Moretto num. 13. appen. 3. ad Lucubrat. de Presbyterio allatis.

Seculo XVI. concinnatum puto basilicæ Vaticanæ Cœremoniale, cujus apographum plurimis mendis scatens extat in bibliotheca Casanatensi. Hoc quidem Cæremoniale formam processus Paschalis Vespertini, qualis, immutata pervetusti ritus facie, a Clero Vaticano celebrari eodem seculo XVI, solebat, verbis exprimit hujusmodi: „ Accessus ad vesperas nunquam fieri debet processionali ritu (1) cum delatione Crucis, præterquam in die Sancti Paschatis, in quo consuetudo est in nostra basilica, ut post datum signum ad vesperas a nostro Sacrario processionali ritu exeat Clerus cum papilione extenso, tintinnabulo, & Cruce, & Cantoribus, & celebrante cum assistentibus indutis pluvialibus. Processio fit ordine jam præscripto: protenditur usque ad extra porticum, & redeundo ingreditur Ecclesiam per portam mediam, & acceditur ad altare medium Apostolorum, ante quod facta genuflexione, & clero diviso in duas alas hinc inde, celebrans consuetam dicit orationem, & acceditur ad chorum pro cantandis vesperis.

In

(1) Secus tamen postea factum est: nam anno MDCXL. Franciscus Card. Barberinus Vaticanæ Basilicæ Archipresbyter mandavit, ut deinceps in Missis & Vesperis canonicalibus deferretur Crux cum duobus candelabris, quam Canonici, Beneficiati, & Clerici suo ordine cum celebrantibus religiose prosequerentur, e Sacrario exeuntes, atque accedentes ad Chorum, sive ad Ecclesiam ubi Missas, & Vesperas hujusmodi celebrari contingeret.

In libellis profecto Ordinem Divini Officii a Basilicæ Vaticanæ Clero servandum continentibus, processio ab eodem Clero ante preces vespertinas Dominicæ Resurrectionis haberi solita anno 1614. adnotari primum incepit, ut equidem cognovi, libellos ipsos diligenter consulens, quorum series ab Ecclesiæ sæculo XVI. ad exitum vergente sumit initium, & in prædictæ basilicæ tabulario custoditur. Sed in eodem archivo diarium adservatur memoratam processionem describens anno 1608., qualis hodie quotannis agitur. Insuper Michael Angelus Matthæjus generis nobilitate affatim præclarus, albo Canonicorum Vaticanæ Basilicæ anno 1652. adscriptus, ejusdem Basilicæ consuetudines in codicem collegit, Matthæi Cæremoniale appellatum, quod Ms. in Capitulari extat archivo: ac inter eas consuetudines ritum nostrum *cap.* 12. sic recenset. „ Ante vesperas fit processio extra „ Ecclesiæ valvas. Celebrans Canonicus pluviali „ indutus infundet incensum in thuribulum, „ ministrantibus duobus ex Beneficiatis, pariter „ pluvialibus indutis. Thuribulum deferendum „ juxta morem ab acolytho ante crucem, quam „ sequuntur cantores cantantes antiphonas &c. „ deinde Clerus per ordinem, ultimus Canonicus hebdomadarius medius inter duos Beneficiatos paratos, progrediuntur. Ecclesiam „ egressis, & ad Sanctorum Apostolorum altare „ reversis, Canonicus hebdomadarius prope in-

„ fimum

„ fimum altaris gradum una cum aliis fex paratis aftet. Canonici penes celebrantem quafi circulum formant, nec fecus agant Beneficiati. Duo Beneficiati parati expleto cantu, concinant verficulum, *Surrexit Dominus &c.* eifque cantores refpondeant: deinde Canonicus hebdomadarius canat hujus Dominicæ diei orationem; eaque expleta, & omnibus in choro confalutatis cantantur folemniter vefperæ, poft quas habebitur concio. „

Quamquam hæc pofterioris ævi, atque hodierna confuetudo Vaticana plurimum ab antiquiffimo ritu differat, ab eodem tamen originem ducere, mihi probabiliter quidem videtur; non enim in ritualibus ad ufum Cleri Vaticani libris cum antiquioris, tum recentioris ætatis alii Sacri proceffus in Dominica Refurrectionis apparent nifi vefpertini, ut videre eft in hujus opufculi *cap.3. & 4.*, ac in præfenti 10. Propterea Vaticanæ bafilicæ Clerus, recenti proceffu vefpertino pafchali abfoluto, ante S. Petri Altare princeps confiftit, illic brevem ftationem agens donec paucæ quædam preces, divinæque laudes concinantur. Facile autem quivis cognofcet facram hanc functionem veftigium effe partemque fuperftitem antiquiffimi vefperarum Pafchalium ritus, quo a bafilicæ Vaticanæ Canonicis, ut recitatum *cap.3.* Vaticanum Refponforiale indicat, prima proceffio ad altare S. Petri, ibique prima ftatio celebrabatur.

His

His equidem Basilicæ Vaticanæ documentis eruditus suffragari nequeo eorum sententiæ, qui judicant processione Vespertina Paschali a Vaticanæ Basilicæ Clero fieri solita sanctas Mulieres valde mane, ut Evangelica narrat historia, ad Christi Domini sepulchrum iter facientes repræsentari. Ita profecto censet Alexander Mazzinellius, dum in piis eruditisque ad Hebdomadæ Sanctioris Officium Observationibus *pag.* 522. *edit. Rom. Salvioni typis an.* MDCCXLII. animadvertit in hunc plane modum. „ Col pio
„ costume introdotto, e per molto tempo rite-
„ nuto dal Clero delle più grandi Basiliche di
„ andar loro processionalmente intorno dopo le
„ ore notturne, e di buon mattino, cantando
„ l'Antifona: *Surrexit Christus* ovvero *Dicite Disci-*
„ *pulis*, o altra conveniente, ha inteso la Santa
„ Madre Chiesa di rappresentare a suoi figliuoli
„ il divoto viaggio delle Sante Donne al sepolcro,
„ ed eccitare in loro i medesimi sentimenti di
„ tenerezza, e di amore verso Gesù Cristo risor-
„ to. Si osserva ancora oggidì questo Rito in al-
„ cune Chiese, ma specialmente nella sempre gran-
„ de augusta Basilica di S. Pietro di Roma, te-
„ nace conservatrice delle più antiche costuman-
„ ze. Questa Processione chiamata delle Sante
„ Donne, o delle Marie, si fa con solennità dal
„ Clero prima di Vespro, per l'impedimento di
„ altre sagre funzioni nel mattino; si canta l'An-
„ tifona: *Regina Cœli*: e da un'Accolito, che pre-

„ ce-

„ cede alla Croce, si asperge coll' acqua bene-
„ detta il Popolo, e la strada in onore di un sì
„ gran giorno, in cui tutte le cose si benedico-
„ no; e per significare, secondo il senso di gravi
„ Autori, la purità, e mondezza interiore ri-
„ cevuta nell'acque del S. Battesimo; si termina
„ poi all'Altare della Confessione de'SS. Apostoli,
„ coll'Orazione„: *Deus qui per Resurrectionem &c.*
Me non latet apud plures Ecclesias morem fuisse inductum, & observatum, ut valde mane in Dominica Resurrectionis Christi, memorandi gratia sanctas Mulieres ad ejusdem Redemptoris Nostri monumentum cum aromatibus proficiscentes, solemnis supplicatio, seu processio celebraretur. Hanc quippe Antonius Bellotte, in Opere de Ecclesiæ Laudonensis Ritibus *part. 5. cap* 13. *& observatione* 124. *pag* 818., ubi matutinam ipsam sanctam functionem apud Græcos, & apud Latinos celebrem, atque a Codino Curopalata *lib. de Offi Magnæ Ecclesiæ & Aulæ Constantinopolitanæ* descriptam illustrat, aliique meminerunt.

At processum sacrum Vespertinum Vaticanum existimo plane alium ac diversum esse ab illa processione matutina, quæ in sæpe laudato Sacerdotale Romanæ Ecclesiæ, aliarumque Ecclesiarum *fol* 252. *& seqq. edit. Venet.* 1569. sic describitur „ Duo diaconi parentur cum dalma-
„ ticis albis, & in Ecclesia remaneant. Sacer-
„ dos autem paratus cum toto Clero exeat
„ per portam ecclesiæ minorem, majori por-
„ ta

„ ta clausa relicta: & veniant ad portam ma-
„ jorem Ecclesiæ cantando responsorium: *Quum*
„ *transisset sabbatum, Maria Magdalene, & Ma-*
„ *ria Jacobi, & Salome emerunt aromata, ut*
„ *venientes ungerent Jesum. Alleluja.* ℣. *Et val-*
„ *de mane una sabbatorum veniunt ad monumen-*
„ *tum orto jam Sole, Ut venientes &c.* ℣. *Glo-*
„ *ria Patri &c.* Et cum illuc pervenerint, Sa-
„ cerdos accedit ad portam clausam, & Cle-
„ rus circumstat eum. Et dum pervenerint ad
„ fores Ecclesiæ completo responsorio cum ver-
„ su, & replica; plebanus vel Sacerdos para-
„ tus pulsat ad ostium manu, vel cum Cruce,
„ dicens sonora voce in tono lectionis: *Attollite*
„ *portas, principes, vestras: & elevamini portæ*
„ *æternales.* Et pro ista prima pullatione, illi
„ deintus nihil respondent. Et facto modico
„ intervallo, sacerdos iterum vehementius pul-
„ sat ostium dicens voce altiori in tono le-
„ ctionis: *Attollite portas, principes, vestras, &*
„ *elevamini portæ æternales &c.* Et illi deintus
„ nihil respondent. Et tunc Sacerdos modico
„ intervallo facto, iterum in eodem tono, sed
„ altius quam secundo pulsans fortiter ostium
„ Ecclesiæ dicit: *Attollite portas principes.* Tunc
„ illi diaconi deintus statim cantando respon-
„ dent. *Quem quæritis in sepulcro, Christicolæ.*
„ Et illi deforis respondent: *Jesum Nazarenum*
„ *crucifixum o cælicolæ.* Et iterum illi deintus
„ respondent: *Non est hic, surrexit, sicut præ-*

„ *di-*

„ *dixerat: ite nunciate, quia surrexit a mortuis.*
„ Hoc finito, qui deintus sunt aperiant por-
„ tam ecclesiæ, & omnes ingrediantur. Et ite-
„ rum dicant qui deintus erant. *Venite, & vi-*
„ *dete locum, ubi positus erat Dominus. Alleluja,*
„ *alleluja*. Et cum fuerint portam ingressi, fir-
„ ment se omnes: & dividant se per choros.
„ Tunc plebanus vadat ad sepulchrum: & po-
„ nat caput in fenestra sepulchri, & postea
„ conversus ad populum dicat voce mediocri:
„ *Surrexit Christus*. Chorus respondeat: *Deo*
„ *gratias* „. Cætera perlegi possunt in eodem Sacerdotale, quod piæ functioni descriptæ mox subjungit „: *His finitis revertantur ad chorum, & cantent matutinas*.

Jam vero si hujus processionis forma conferatur cum Vaticana processione vespertina, magnum inter utramque discrimen intercedere, nihilque uni cum altera esse commune, quivis facillime deprehendet. Præterea ipsam matutinæ supplicationis formam mox exhibitam, in Romanis Ordinibus nemo unus reperiet; quin imo Vaticanæ Basilicæ rituales, quos vidi, Codices, sive pluries citatum Responsoriale, & Antiphonarium, sive paulo ante in hoc capite allegati cæremoniales libri consulantur, nullam in Resurrectionis Dominica processionem matutinam designant, sed vespertinam tantummodo præscribunt. Hæc sunt argumenta, quæ me in Mazzinelli pii, do-
cti-

ctique ceteroquin viri, & aliorum hac de re idem cum eo opinantium, sententiam ire non sinunt.

CAPUT XI.

Objectionibus nonnullis occurritur. Quo spectat recens Processio Vaticana: quæ in ea sunt religioso animo volvenda.

PRæsentio tacitus, neque incuriosus dissimulo argumenta, quæ adversus conjecturam in præcedenti cap. x. explicatam plures facile objicient. Qui fieri potest, dicent illi, ut hodierna Paschalis vespertina processio Vaticana vestigium sit antiquissimi ritus *cap.* 2. *&* 3. expositi, & ex eo originem ducat? Hunc inter & illam magna sane differentia cuique patet. Is enim ritus Paschales vesperas cum processionibus ad diversa Altaria certe ad Sanctam Crucem, atque ad Sacrum Baptisterium, & cum peculiaribus Antiphonis versibus responsoriis precibus & sequentiis seu prosis, celebrari mandabat. Hæc autem a sacra devexioris, nostrique ævi supplicatione longe absunt. At proclive est difficultatem istam solvere, si ea, quæ in *capp.* 7. *&* 9. prædicta sunt, huc revocentur; nimirum vetustissimus, ac peculiaris ille vesperarum Paschalium ritus in neophytorum gratiam,

tiam, qui proximo Sabbato sacramentum Baptismi susceperunt, institutus fuit, & idcirco ad Sanctam Crucem, atque ad Sacros Fontes habebantur processiones cum religiosis precationibus, Divinarumque laudum concentu. Cum vero disciplina administrandi generaliter sacramentum illud in Sabbatis Paschæ, & Pentecostes progressu temporis fere desierit; mirari nemo debet, si ea pervetusti ritus pars, quæ ad neophytos pertinebat, postmodum omissa fuerit: ideoque recens processio vespertina Paschalis Vaticana ab ea quæ antiquitus celebrari consueverat, longe distare videatur. Grande equidem discrimen inter utramque agnosco, simulque fateor. Negandum tamen non est, pervetusti moris esse vestigium, seu reliquias eam processionem, quæ a Clero Vaticano vel inpræsentiarum servatur.

Aliud etiam non abs re lubet hic adnotare. Extant modo sacræ complures cæremoniæ, profecto vetustissimæ, sed a primævo earum instituto sic digressæ, ut ipsarum origo nonnisi priscorum monumentorum ope investigetur, ac deprehendatur. Unum, & alterum innuere exemplum juvat. En prius: Facies ritus, quo olim in Vaticana basilica presbyterium die 25. mensis Aprilis annuum præstabatur, postmodum sic variata est, ut in ea, quæ inferiori ævo inducta nunc obtinet, ejusdem præstationis forma *reliqui esse quidpiam antiqui usus* vix di-

dignoſci queat, ait optimus hujuſce rei judex, nempe aliàs laudatus Morettus in ſua de ritu dandi Presbyterii lucubratione *par.2.ſect.5.num.13.* Novam tamen conſuetudinem veſtigium eſſe perveteris inſtituti, nullus plane inficias iverit. Poſterius exemplum eſto hujuſmodi. Stolam, quam vocant latiorem, & vulgo *ſtolone*, certis quibuſdam temporibus ac diebus aſſumit & induit diaconus ſacro ſuo munere perfuncturus. Hoc indumenti genus ævo quidem recenti inventum, etſi nullam caſulæ formam præſeferat, nihilominus ab ea originem ducit. Id enim certum exploratumque infertur ex *num.* 54. Romani Ordinis XIV. apud Mabillonium, & ex Cæremoniali codice Vaticano *ſign.* 4731. apud ſupra memoratum Joannem Baptiſtam Gatticum *pag.*180., ubi ſic legimus. „ Diaconus inſtan-
„ te hora, quando pergere debet ad legendum
„ Evangelium deponat Planetam, & Acolythi
„ decenter eam complicent, & imponant ſu-
„ per ſiniſtrum humerum ejus, ac ſub dexte-
„ ro brachio ligent eam, ut melius poterunt,
„ ita quod ab humero ſiniſtro deſcendat ad
„ latus dexterum, ſicut Diaconalis ſtola de-
„ ſcendit, & hoc modo Diaconus Planetam
„ teneat dum legit Evangelium, & uſquequo
„ dicatur ultima Oratio poſt Communionem.„
Quæ ſane origo etiam ex Miſſali Romano *rubric. part.* 1. *tit.* 19. non obſcure intelligitur. Haud ſecus Vaticana inferioris, ac præſentis

ævi processio vespertina Paschalis ab antiquissimo ritu descendere conjicitur, licet ipsius ritus formam exuerit.

Porro quod in Romano Rituali Card. Sanctæ Severinæ superius laudato, processio paschalis, quam ille innuit fieri ante vesperas secundum consuetudinem alicubi receptam, distinguatur ac secernatur a sacris processibus juxta vetustissimum ritum ad Crucem, & ad Baptisterii Fontem habitis; conjecturæ a me propositæ non officit. Distinctionem quippe video & admitto, sed eam ipsam processionem antevespertinam esse antiquissimi ritus vesperarum paschalium proprii, nunc plerisque in Ecclesiis prorsus obsoleti, partem perexiguam superstitem, seu vestigium opinor.

Quo autem recens hic Vaticani Cleri sacer processus spectet, paucis nunc adnotandum. Veteres, ut præsentis opusculi *cap.7* animadvertitur, in antiquissima illa functione vespertina cum processionibus, stationibusque ad Sanctam Crucem, & ad Sacrum baptisterium celebrata, tum redivivi Christi Domini gloriosissimum triumphum, tum ex ejusdem Redemtoris Divini meritis acceptam nuper in baptismate a Fidelibus Regenerationis gratiam, ob oculos habuere, pioque animo coluerunt. Sed processus sacer posteriori ætate inductus, si per se consideretur, Christi Jesu resurrectionem potissimum, & quasi unicè respicit. Nam inter

pro-

procedendum cantores notam illam sæpe repetunt antiphonam, *Regina cæli lætare &c*, qua Deiparæ de redivivo ejus Filio Salvatore Nostro gratulamur; quamve in functione vespertina paschali recitari video apud Sacerdotale Romanum *fol.* 256. apud Ordinem Officiorum Ecclesiæ Senensis a clar. Trombellio evulgatum *pag.*186. & apud alia Ritualia. Cum Vaticanus Clerus e processione reversus, stat coram principe Basilicæ Altare, cui subest Sacra Beatissimi Petri Confessio, sub qua ejusdem Apostolorum coryphæi venerabile corpus quiescit; canitur versus, *Surrexit Dominus vere, alleluja*, cum resp. *Et apparuit Simoni*: canticum quidem & loco & solemni festo conveniens. Verba enim illa extant apud S. Lucam *cap.*24. *v.* 34. unde constat, quod Christus Dominus in ipsa suæ resurrectionis die sese Beato Petro Apostolo revelavit, ejus dolorem, ut facile est credere solatus, ac suam exhibens præsentiam, tamquam concessæ veniæ argumentum, & pignus. Sacra demum functio absolvitur ea precatione, quæ die Dominica Resurrectionis Christi per horas canonicas recitatur, & qua ipse Noster Divinus Redemtor æternitatis nobis aditum devicta morte reserasse commemoratur.

Et quamvis præcipuum hujusce processionis objectum, ut *cap.* 9. dicebam, evangelicarum mulierum iter ad Christi sepulcrum non esse videatur; sic tamen pium illud earumdem

iter animo recte possumus recolere, ut ipsas, quæ cum aromatibus ad monumentum venerunt, imitemur, nec aliter, quam cum virtutum odoramentis, hoc est firmæ Fidei, certæ spei, ac sinceræ charitatis operibus accedamus ad Dominum. Quid tandem? Christus juxta Apostolum ad Rom. cap.4. v.25. *surrexit propter justificationem nostram*, ac teste eodem Apostolo, *reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ*, cum ut ipse S.Paulus I. *ad Cor. cap.*15. *v.* 53., ait, *corruptibile hoc induerit incorruptionem, & mortale hoc induerit immortalitatem*; quod ex vi, & singulari beneficio resurrectionis Christi nobis obventurum confidimus. Hæc quoad recentem Ritum paschalis vespertinæ processionis Vaticanæ.

Jam vero si processus idem sacer inspiciatur quoad ejus originem cap. præcedenti designatam, aliud etiam pio animo versare possumus. Cum enim, ut supra *cap.* 7. vidimus, Paschalium vesperarum antiquissimus ritus eos, qui proximo sabbato sancto baptizati fuerant, magna ex parte respiceret; quid prohibet, ne eorum singuli, qui hodiernæ processioni a more vetustissimo quidem dissonæ, sed ab ipso, ut censeo, derivatæ intersunt, sanctæ regenerationis gratiam per baptismi Sacramentum, Deo miserante acceptam gratâ memoriâ recolant, ac perpendant, num in iis, quæ per patrinos spoponderunt, cum baptismo initiati sunt, fidem

ser-

ſervent? Quid, inquam, prohibet, hæc ſolidæ pietatis officia a viro Chriſtiano exerceri? Quin imo id eſt permaxime congruum. Profecto veterum auctoritate mos iſte commendatur, ut præter alios Scriptores videre eſt apud Joſephum Vicecomitem *de Ritib baptiſmi lib.* 5. *cap.* 52 & apud Ducangium in Gloſſario ad verb. *Paſcha annotinum*; quod Micrologus *de Eccleſiaſt. obſervation. cap.* 56. ſic explicat: *Romani annotinum Paſcha, quaſi anniverſarium Paſcha dicunt, quia antiquitus apud illos, qui in priori Paſcha baptizati erant, in ſequenti anno, eadem die ad Eccleſiam convenere, ſuæque regenerationis anniverſarium diem cum oblationibus ſolemniter celebraverunt*. Et ſane Miſſa de *Paſcha annotina* extat *lib.*1. *num.*54. Sacramentarii a Ven. Card. Thomaſio evulgati, ac S. Gelaſio Pont. Romano attributi, cujus Miſſæ preces, utpote religionem ſummam redolentes, ac proinde perlegi dignas huc referre exiſtimavi. „ Deus, per cujus pro-
„ videntiam nec præteritorum momenta de-
„ ficiunt, nec ulla ſupereſt expectatio futuro-
„ rum, tribue permanentem peractæ, quam
„ recolimus, ſolemnitatis effectum; ut quod
„ recordatione percurrimus, ſemper in opere
„ teneamus. Per &c.

„ Deus qui renatis fonte Baptiſmatis deli-
„ ctorum indulgentiam tribuiſti: præſta miſeri-
„ cors, ut recolentibus hujus nativitatis inſi-
„ gnia, plenam adoptionis gratiam largiaris. Per.

Se-

Secreta.

„ Clementiam tuam Domine ſuppliciter „ exoramus ; ut Paſchalis muneris Sacramen- „ tum, quod fide recolimus, & ſpe deſidera- „ mus intenti, perpetua dilectione capiamus. „ Per Dominum.

„ Vere dignum &c. Per Chriſtum Domi- „ num Noſtrum Redemptionis noſtræ feſta reco- „ lere, quibus humana ſubſtantia vinculis præ- „ varicationis exuta, ſpem reſurrectionis per „ renovatam originis dignitatem (aſſumpſit). „ Per quem majeſtatem.

Infra actionem.

„ Hanc igitur oblationem famulorum, fa- „ mularumque tuarum, quam tibi offerunt, „ annua recolentes myſteria, quibus eos tuis „ adoptaſti regalibus inſtitutis : quæſumus Do- „ mine placatus intende : Pro quibus ſuppli- „ cis (*) preces effundimus ; ut in eis & conlata „ cuſtodias ; & ut promiſſæ beatitudinis præ- „ mia largiaris : dieſque noſtros.

Poſt Communionem.

„ Tua nos, quæſumus Domine, quæ ſumpſi- „ mus, ſancta purificent ; & operationis ſuæ

„ re-

(*) Sic in Vener. Card. Thomaſii editione. Fortaſſis legendum, *Supplicibus* ; aut *Supplices*, *E* pro *I*, duarum namque harum literarum promiſcuus uſus in codicibus ſæpiſſime occurrit : & in vulgatæ editionis Latinæ pſalmo XII. verſ. I. legimus, *Avertis* pro *Avertes* in futuro ſicuti eſt in Hebræo textu & Græco.

„ remedio, nos perficiant esse purgatos (al. pla-
„ catos). Per Dominum.

Enarratam majorum nostrorum pietatem insignis Archiepiscopus Mediolanensis S. Carolus Borromæus animadvertens, in sua VI. Synodo *cap.* 8. parochum & confessarium admonet, ut ipsi cohortationis officio in id incumbant, quo Fidelium unusquisque diem suum baptismatis singulis annis pie recolat, ac eo potissimum die sancte sese excitet ad præclaram illam sponsionem, & Christianam professionem quam in sacro lavacro per sponsores solemniter edidit; ac tale monitum Sanctus idem Carolus confirmat verbis Sancti Ambrosii, ita baptizatum alloquentis. *Repete quid interrogatus sis, recognosce quid responderis. Renuntiasti diabolo, & operibus ejus: mundo, & luxuriæ ejus, ac voluptatibus: memor esto sermonis tui, & numquam tibi excidat tuæ series cautionis.*

F I N I S.



